



140017

PHARMACOPŒA


BELGICA

NOVA.

D'après une décision de M. le Ministre de l'Intérieur, en date du 31 août 185[illegible], « aucun exemplaire de la Pharmacopée belge ne peut être vendu sans être revêtu du timbre de son Département et du visa de l'Inspecteur général du service médical civil. »

Exemplaire N° 674

Vu, l'Inspecteur général du service médical civil,



EX TYPIS J. B. TIRCHER.

PHARMACOPOEA

BELGICA

NOVA.



BRUXELLIS,

SUMPTIBUS J. B. TIRCHER ET VANDOOREN.

—

1854

AD LECTOREM.

Pharmacopœam Belgicam, anno 1823 editam, jam dudum ad præsentem disciplinarum naturalium, præsertim Chemiæ, rationem non accommodatam esse neminem fugit. Eam itaque renovandam, pluribus abhinc annis, jussit Rex noster Augustissimus. Quæ ex hoc Decreto post aliquot tempus inchoata, sed variis impedimentis diu detenta, nunc tandem in lucem prodit.

Primi ad operam vocati sunt Medicinæ doctores C. Delvaux, M. Martens, D. Sauveur et P. Van Cutsem, nec non Pharmacopolæ A. D. De Hemptinne, H. J. Van den Corput et J. B. F. Van Mons, quorum aliqui, mox adversa valetudine aut morte correpti, vix ullo adjumento ad rem fuerunt. Dein, jussu Regio, in consilium adhibita est Academia medicinæ (1), tandemque

(1) Ab Academia delegati fuerunt medicinæ Doctores C. Delvaux, V. J. François, H. J. Froidmont, H. P. Gouzée, J. Mareska, M. Martens, D. Sauveur, J. Stas; Pharmacopolæ J. T. P. Chandelon, C. J. Davreux, A. D. De Hemptinne, P. J. Hensmans, V. Pasquier, et Veterinarius C. P. J. Gaudy; nullam vero in hujus Collegii consiliis partem habuerunt Doctores C. Delvaux et J. Stas.

operis perficiendi curam sedulamque recognitionem, auctoritate Ministri qui interioribus regni negotiis pro tempore præerat, suscepimus, ut typis mandaretur.

Pharmacopœam novam, priori ampliorem esse facile intelliget qui magnum numerum medicaminum, ab anno 1825 repertorum, consideraverit. In delectu autem horum medicaminum id præcipue spectabamus ut, quæ recentioribus temporibus ex scientiarum progressu innotuerunt sedulo annotarentur, ea lege tamen ut omissa remanerent hesterna quædam, quorum utilitatem experientia nondum comprobavit. Vetusta etiam, quæ nostro tempore vix ministrantur, magna ex parte excludenda duximus, servatis tantum iis quæ, etsi non necessaria, in Medicorum formulis nonnunquam apparent.

Quum medicamina plura, præsertim chemica, non semper a Pharmacopola ipso conficiuntur, utpote quæ per mercaturam abunde suppeditantur, eorum præparationem paucis tantum verbis descripsimus; sed characteres vel notas distinctiores, quibus integritas et indoles præparati apprime dignoscuntur, diligenter indicavimus. Generatim etiam operationes exposuimus quibus medicaminum tum inquinationes tum adulterationes reperiuntur; quod non solum Pharmacopolis utile est ac Medicis, sed et civibus sinceritatem medicaminum indubitatam reddit.

Inter varias quibus medicamina officinalia parari possunt methodos, eam semper elegimus quæ præstantior visa est, aut quæ encheiresi faciliore, minoreque pretio commendatur.

Extracta, quantum fieri potest, plane exsiccanda esse voluimus, tum ut, æquali pondere, eadem semper virtute gaudeant, tum ut facilius serventur. Quæ autem nonnisi in statu pulposo parari queunt, certam et definitam aquæ portionem continere debent, ut Medico semper extractum ejusdem fere virtutis exhibeant.

Multa extracta hydro-alcoholica, præprimis narcotica, in Codice introducta sunt, quum illorum efficacia in dubium a nemine vocari possit.

Aquæ aromaticæ destillatæ nonnisi difficulter asservantur. Qua de causa, usitatissimas tantum ac efficaciores destillatione parandas præscripsimus; cæteras autem, si requirantur, ex tempore imitari docuimus. Eadem lege alcoholata plura, extemporaneo modo, cum oleis æthereis parari posse judicavimus; ita enim medicamen ejusdem semper virtutis obtinetur, quod alcoholatis destillatione elicitis non semper competit.

Non omnia medicamenta in hoc Codice descripta in omnibus regni officinis adesse debent, quia haud ubique in usu veniunt; ast in singulis provinciis, viri ad curam rerum medicarum legitime constituti, indicem conficient eorum quæ in minoribus oppidis et pagis apud Pharmacopolas prostare omnino necesse est, hac tamen conditione ut cætera, si a Medicis præscribantur, a Pharmacopola quam citissime suppeditentur.

In ponendis medicaminum nominibus, nomenclaturam gallicam, apud nos præsertim usitatam, præparatis chemicis applicavimus. Ab hac norma tamen quandoque recedere idoneum aut necessarium judicavimus; sic servata sunt nomina *Hydrargyrum dulce* seu *Mercurius dulcis* et *Hydrargyrum sublimatum corrosivum*, ut errores avertantur qui in Medicorum formulis ex nominibus vix absimilibus *proto-Chlorureti Mercurii* et *bi-Chlorureti Mercurii* vel *Chloreti hydrargyrosi* et *Chloreti hydrargyrici* oriri possunt.

Ne quis hæreat in ambiguo, plerisque medicamentis largam Synonymorum copiam adposuimus, neglectis attamen nominibus plane antiquis quæ jam diu obsolevere.

In præparatis chemicis a Pharmacopola ipso conficiendis, quan-

titates ingredientium numeris simplicioribus indicavimus. In præparatis autem pharmaceuticis, quæ generatim nonnisi miscelas constituunt, ingredientia eo modo conjuncta sunt, ut massam 100 vel 1000 grammatum efficiant; qua ratione in uno grammate præparati tot centigrammata aut milligrammata cujusque ingredientis continentur, quot grammata ingredientis in tota formula adsunt.

Pondera decimalia, utpote lege sancita, admisimus.

Liquorum densitatem Aræometro batavo pharmaceutico, inter nostrates usitato, indicavimus, et pro spiritu vini gradus Alcoholometri adjunximus.

Temperaturæ indicationes Thermometro centesimali præbentur.

Ad utilitatem Codicis augendam, Appendicem subjungimus, quæ formulas multas continet, tum præparationum magis obsoletarum, tum formularum magistralium quæ apud nos sæpius in usu veniunt et in variis libris, non semper Pharmacopolæ obviis, dispersæ inveniuntur.

Utile quoque duximus Antidota comprobata necnon prima auxilia, absente Medico, a Pharmacopola venenatis ministranda indicare, quum his in casibus remediorum efficacia præsertim a celeritate qua porriguntur dependeat.

Tandem alphabeticum ordinem in materia Pharmaceutica necnon in serie præparatorum et compositorum, ut commodissimum, observavimus.

Eam ergo divisionem in Pharmacopœa sumus secuti.

In introductione exponuntur :

1° Rationes ponderum medicinalium in Belgio et in externis regionibus usitatorum;

2° Comparatio inter scalas Thermometrorum centesimalis, Reaumuri et Fahrenheitii;

3° Aræometria, id est, instructio de conficiendis et adhibendis Aræometris, adjectis tabulis quibusdam fluidorum densitatem spectantibus;

4° Regulæ generales de colligendis servandisque medicamentis simplicibus, necnon de præcipuis operationibus pharmaceuticis.

Prima pars Codicis, materiam pharmaceuticam complectens, cuncta recenset medicamina *simplicia* dicta et præparata ea quæ aliunde accipit Pharmacopola. Unicuique corpori signa et notæ adduntur quibus genuina agnoscuntur et ab adulteratis distinguuntur.

In secunda parte instituuntur medicaminum *compositorum* formulæ et præparandi modus.

In tertia parte continentur :

1° Reagentia, quibus Pharmacopola ad sinceritatem medicaminum explorandam indiget;

2° Tabula ponderum specificorum quæ oleis æthereis competunt;

3° Tabula medicaminum quæ luce decomponuntur aut alterantur;

4° Tabulæ variæ Pharmacopolis utiles.

Scripsimus Bruxellis mense Decembri 1853.

A. D. De Hemptinne.
J. Mareska.
M. Martens.
D. Sauveur.

CODICIS ORDO.

PRÆMONENDA.

I. DE PONDERIBUS.

Pristinæ Belgii provinciæ in rebus medicis non eodem omnes utebantur pondere, nam in aliis ad granum hordei pondera referebantur, in aliis ad Assem aurificum, qui circiter 48 milligrammata æquabat. Invaluerat etiam vetus ratio, qua libra pharmaceutica in uncias duodecim, uncia in drachmas octo, drachma in scrupulos tres, et scrupulus in grana viginti dividebatur.

Decreto diei 30 Novembris 1817 novum statutum est pondus medicum in quo antiquæ illæ divisiones ad libram Pharmaceuticam, cui assertum pondus 375 grammatum, aptatæ fuerunt; unde orta est ratio sequens quæ in officinis ad hunc diem perstitit.

Libra valet	grammata.	375,00000
Uncia	»	31,25000
Drachma	»	3,90625
Scrupulus	»	1,30208
Granum	»	0,06510

Certe non procul abest tempus quo ad normam decimalis systematis etiam Medici mandata sua edicent. Propterea ne ulli ponderum mutationi Codex noster obnoxius foret, quantum fieri potuit, non pondus, sed rationem seu proportionem substantiarum quæ conficiendo medicamini inserviunt indicavimus, ita institutam, ut omnes simul summam centum vel mille partium referant. Quæ inde oriantur commoda, perspicua sunt. In quaque enim totius portione continetur centesima vel millesima pars cujusvis substantiæ in permistione designatæ. Sit, v. g., compositum officinale mille partium, quarum duæ ex opio; Medicus facile dignoscet se, in quaque parte seu grammate compositi, duas partes millesimas seu duo milligrammata opii ægro suo propinare.

Mensuris nunquam, ponderibus semper, liquorum quantitates, si aqua excipiatur, determinandæ sunt.

RATIO

Variorum ponderum medicinalium ad pondus grammatis.

	Libra.	Uncia.	Drachma.	Scropul.	Granum.
America	373,2460	31,1038	3,8880	1,2960	0,0648
Anglia	373,2460	31,1038	3,8880	1,2960	0,0648
Austria	420,0088	35,0007	4,3751	1,4584	0,0729
Bavaria	360,0000	30,0000	3,7500	1,2500	0,0625
Belgium	375,0000	31,2500	3,9062	1,3020	0,0651
Berna	356,5780	29,7148	3,7144	1,2381	0,0619
Borussia	350,7833	29,2320	3,6540	1,2180	0,0609
Dania	357,6639	29,8053	3,7257	1,2419	0,0621
Hamburgum	357,6293	29,8024	3,7253	1,2418	0,0621
Hannovera	357,5669	29,7972	3,7247	1,2416	0,0621
Hassia	357,6639	29,8053	3,7257	1,2419	0,0621
Lubeca	369,1250	30,7604	3,8451	1,2817	0,0641
Neerlandia	375,0000	31,2500	3,9062	1,3020	0,0651
Norinberga	357,8456	29,8205	3,7275	1,2425	0,0621
Norwegia	357,8456	29,8205	3,7275	1,2425	0,0621
Polonia	358,5106	29,8759	3,7345	1,2448	0,0622
Russia	358,3270	29,8606	3,7326	1,2442	0,0622
Saxonia	350,7833	29,2320	3,6540	1,2180	0,0609
Slesvico-Holsatia .	357,6639	29,8053	3,7257	1,2419	0,0621
Suecia	356,2269	29,6856	3,7107	1,2369	0,0618
Wurtembergium . . .	357,6637	29,8053	3,7257	1,2419	0,0621

Harum regionum libra medica habet 5760 grana; et quævis libra dividitur in uncias 12; quævis uncia in 8 drachmas; drachma in 3 scrupulos; scrupulus in 20 grana. Continentur igitur 480 grana in uncia, 60 in drachma, 20 in scrupulo.

	Libra.	Uncia.	Drachma.	Scrupul.	Granum.
Hetruria	339,5420	28,2952	3,5369	1,1790	0,0491
Hispania	345,0720	28,7560	3,5945	1,1982	0,0499
Luca	334,5000	27,8750	3,4844	1,1615	0,0484
Lusitania	344,1900	28,6825	3,5853	1,1951	0,0498
Parma	328,0000	27,3333	3,4167	1,1389	0,0475
Roma	339,1610	28,2634	3,5329	1,1776	0,0491

Dividuntur hæ libræ uti priores, ast continent 6912 grana; habentur itaque in uncia grana 576, in drachma 72, in scrupulo 24.

	Libra.	Uncia.	Drachma.	Scrupul.	Granum.
Gallia	489,505	30,5941	3,8242	1,2747	0,0531

Pondus medicinale in Gallia lege rescissum est. Libra pondus habebat 9216 granorum et dividebatur in 16 uncias. Drachma pendebat grana 72, scrupulus autem 24.

II. DE THERMOMETRO.

Ubique in Codice, caloris gradus thermometro centesimali exprimuntur. Ad scalam Reaumurianam referuntur æquatione :

$$x = \frac{\pm 8\,a}{10}$$

ad scalam vero Fahrenheitianam æquatione

$$x = \frac{\pm 18\,a}{10} + 32$$

Littera *a* indicantur gradus centesimales reducendi.

III. ARÆOMETRIA.

In Belgio usu præcipue recepta sunt aræometra secundum methodum Beaumeanam constructa et alcoholometrum Gay-Lussaci. Priora vulgo inserviunt ut inquiratur an liquidum quoddam sit plus minusve grave; sed, quum eorum tubus cylindrum refert perfectum et secundum physices præcepta in gradus partitum, tum ad ipsam quoque liquidorum densitatem explorandam adhiberi queunt.

Aræometrum Beaumeanum liquidis aqua densioribus accomodatum ita gravatur, ut fere totum aqua submergatur. In eo duo puncta, fixa dicta, notantur : prius habetur ex altitudine ad quam apparatus, temperatura + 15° C., in aqua depurata subsidit; alterum ex altitudine, ad quam hæret in solutione ex una parte salis marini et novem partibus aquæ destillatæ, temperatura + 15° C., confecta. Prior nota indicatur signo 0, secunda numero 10, et intervallum dividitur in decem partes æquales quarum unaquæque gradum designat. Divisiones ad eamdem mensuram in tubo continuantur usque ad bulbum.

Si tubus hoc modo partitus exacte cylindricus sit et accurate constructus, omnes scalæ gradus erunt inter se æquales, et eorum cujusvis volumen centesimam quadragesimam quartam partem referet voluminis illius instrumenti partis quæ mergitur in aqua depurata; hinc talis aræometri ope facillime determinatur pondus specificum liquorum aqua densiorum.

Ratio inter volumen unius gradus aræometri littera x expressum et volumen partis instrumenti sub aqua destillata demersæ littera V notatum, sequenti determinatur modo :

Densitas aquæ salsæ normalis est 1,075. Erit $V - 10x$ volumen instrumenti partis quæ descendet in aquam salsam quum aræometrum huic liquido immittetur. Notentur prorsus litteris p' et p, illa pondera solutionis salis marini et aquæ puræ quorum utrumque volumini respondet littera V expresso. Horum ponderum ratio erit rationi densitatum æqualis, et proinde :

$$\frac{p'}{p} = 1,075$$

Sed quia densitatum ratio par est rationi inversæ voluminum quando pondera sunt eadem, et quum aquæ puræ et aquæ salsæ pondera, quorum prius volumini V et alterum volumini $V - 10x$ respondent, inter se sunt æqualia, utroque pondus instrumenti adæquante, habetur :

$$\frac{p'}{p} = \frac{V}{V - 10x}$$

unde

$$\frac{V}{V - 10x} = 1,075$$

et exinde

$$x = \frac{V}{144}$$

Quod demonstrandum.

His præmissis, sit, v. g., liquidum quoddam in aræometro gradum indicans vigesimum, cujusque densitas sit determinanda.

Numerus 144 denotet volumen aræometri partis quæ in aqua destillata subsidit ; pondus vero aquæ remotæ, instrumenti ponderi æquale, littera p designetur.

Pondus 144 voluminum liquidi explorandi, littera p' expressum, dabitur proportione :

$$(144 - 20) : p = 144 : p'$$

In qua 144—20 indicat volumen aræometri partis in fluido immersæ. Ergo,

$$p' = \frac{144\,p}{144 - 20}$$

et ratio inter pondera ejusdem voluminis amborum liquidorum, id est requirenda densitas, erit :

$$\frac{p'}{p} = \frac{144\,p}{(144-20)\,p} = \frac{144}{144-20} = 1{,}16$$

Aræometrum Beaumeanum, liquidis aqua levioribus aptum, tali modo gravatur, ut inferior tantum tubi pars in solutione salis marini se demergat. Punctum, quod superficie liquoris contingitur, notatur signo O. Apparatus dein in aqua destillata immersus altius descendit, et puncto, quod stringit superficies liquidi, adscribitur nota 10. Intervallum inter has notas in decem æquales dividitur partes, et similis fit sursum, ad extremitatem usque superiorem, tubi partitio. Quomodo, hujus aræometri ope, liquorum aqua specifice leviorum exploratur densitas, patet ex his quæ jam de altero aræometrorum genere dicta sunt.

Aræometrum nostras pharmaceuticum, in priori Pharmacopæa belgica descriptum, a Beaumeano liquidis aqua levioribus inserviente, in eo tantum differt, quod punctum O, non solutione salis marini, sed aqua destillata determinatur. Hac ratione, punctum O, tam in aræometro quo liquida aquâ graviora, quam in eo quo leviora explorantur, eidem respondet densitati, et liquida alcoholica decem gradus minus, in aræometro pharmaceutico quam in Beaumeano, indicant.

Apparatus qui ad densitatem cerevisiarum, lactis, aceti, aliorumque liquorum inquirendam adhibentur, ipsa quoque sunt aræometra Beaumeana, sed parvo tantum graduum numero instructa.

Alcoholometrum Gay-Lussaci nonnisi liquoribus alcoholicis inservit. Constructum est ita, ut volumen alcoholis puri vel absoluti aquæ commixtum denotet. Signum O inferiorem partem scalæ occupat in puncto ad quod usque instrumentum in aqua destillata, temperatura + 15° C., descendit. Ultimus scalæ gradus seu centesimus, datur alcohole absoluto et puro, in eadem caloris temperatura. Spatium inter gradus extremos in centum dividitur partes longitudinis diversæ. Gradus indicant centesimas partes voluminis alcoholis puri in liquido alcoholico, temperatura + 15° C., contenti. Si, e. g. alcoholometrum ad 45° in spiritu vini descendit, exinde concludendum est, liquori

explorato quadraginta quinque centesimas voluminis sui partes alcoholicas inesse.

Quando experimentum, alio caloris gradu quam + 15° C., instituitur, alcoholometrum copiam alcoholis puri non accurate indicat, quia liquoris densitas mutata est; numeri igitur sunt corrigendi. Quæ correctiones, pro quovis alcoholometri gradu et pro variis thermometri gradibus, a 0° usque ad 30°, instituendæ, in libro de usu alcoholometri a Gay-Lussaco edito, exponuntur.

Quum hoc opus aliaque similia non omnibus nec semper præsto sunt, commodum nobis ac utile visum est præcepta tabulis quibusdam adjuvare; inter eas eminet sexta, quæ adplicationes multas magnique momenti præbet praxi pharmaceuticæ nec non mercaturæ.

In prima hujus tabulæ columna inscribuntur alcoholometri centesimalis gradus; in secunda notantur pondera specifica; tertia et quarta quantitates alcoholis absoluti et aquæ in uno liquorum alcoholicorum litro contentas exhibent; et tandem quæ in horum liquorum una parte, pondere expressa, inest copia alcoholis absoluti, quinta divisione indicatur.

Quivis gradus alcoholometricus, id est, quivis numerus primæ columnæ, per centum divisus, decimalem litri præbet fractionem qua volumen indicatur alcoholis absoluti in uno liquorum alcoholicorum litro contenti. Numerus huic fractioni in quarta columna respondens, volumen aquæ alcoholi immixtæ exprimit. Horum voluminum summa unitatem semper superat, et eo magis, quo major, ex combinatione orta, voluminis fuit contractio.

Cum tabula sexta multiplices facile solvuntur quæstiones e quibus unam referre sufficit. Dato liquore quodam alcoholico, requiritur quænam aquæ copia addenda est, ut obtineatur liquor gradus inferioris dati. Gradus indicantur alcoholometro vel alio quolibet aræometro, cujus indicationes vel in densitatem liquidi vel in gradus alcoholometricos transferentur.

Primo determinandum est pondus liquidi vel ponderando vel potius computando; pondus enim datur volumine per gravitatem specificam multiplicato. Indicentur littera p pondus liquidi

aqua diluendi, littera α copia alcoholis absoluti quæ in unitate ponderali hujus fluidi, littera vero α', copia alcoholis puri quæ in unitate ponderali liquoris diluti et obtinendi inest; tandem notetur littera x copia aquæ addenda. Quantitates α et α' leguntur in quinta divisione tabulæ sextæ.

Quantitas x dabitur æquatione :

$$p\alpha = (p + x)\alpha'$$

unde

$$x = \frac{p(\alpha - \alpha')}{\alpha'}$$

Ergo, ut agnoscatur copia aquæ addenda, a quantitate alcoholis in liquore fortiori contenta subtrahenda est quantitas alcoholis liquoris obtinendi; differentia per hanc posteriorem quantitatem est dividenda, et quod exinde oritur per pondus liquoris dati multiplicandum.

Ut hæc regula exemplo illustretur, sit, e. g., spiritus vini 84° ad 50° adducendus.

In tabulæ nostræ quinta divisione adscriptus est numerus $0{,}7825 = \alpha$ gradui 84 respondens et, in eadem columna, numerus $0{,}4251 = \alpha'$ gradui 50 respondet. His numeris loco litterarum α et α', in formula $x = \frac{p(\alpha - \alpha')}{\alpha'}$, substitutis, et posito $p = 1$, obtinetur :

$$x = \frac{1\,(0{,}7825 - 0{,}4251)}{0{,}4251}$$

unde

$$x = \frac{0{,}3574}{0{,}4251} = 0^{k}{,}8407.$$

Copia igitur aquæ, uni kilogrammati liquoris alcoholici 84° addenda ut in liquorem 50° convertatur, est 0^{k}, 8407. Pondus miscelæ adæquat 1^{k}. 8407, et hoc pondere per densitatem gradui 50 respondentem diviso, datur miscelæ volumen, quod igitur adæquat $\frac{1{,}8407}{0{,}9348}$ vel 1,9668 litra.

Si, in æquatione $x = \frac{p(\alpha - \alpha')}{\alpha'}$ ponamus p æquale densitati liquoris 84°, quæ numero exprimitur 0,8531, obtinetur :

$$x = 0{,}8531\,\frac{(0{,}7825 - 0{,}4251)}{0{,}4251} = 0{,}7172.$$

Hic numerus indicat quantitatem ponderalem seu kilogram-

mata aquæ uni litro liquoris alcoholici 84° addenda, ut hic convertatur in liquorem gradus 50°.

Quum autem volumen aquæ a gradu thermometrico + 4 ad gradum + 15 ascendentis, parum mutatur (crescit enim tantum a 10000 ad 10007), mensuram ponderi substituere licet et, hoc in casu, loco kil. 0,7172 addentur litri partes 0,7172.

Liquoris 50° volumen requiretur ratiocinando modo sequenti. Si 0,50 partes litri alcoholis puri unum præbent alcoholis 50° litrum, quænam erit quantitas quæ dabitur partibus 0,84 in uno litro alcoholis 80° contentis. Inde oriunda proportio :

$$0{,}50 : 1 = 0{,}84 : x.$$

et

$$x = 1{,}68 \text{ litri}.$$

Ut his calculis supersedeant Pharmacopolæ, tabulam computavimus quintam, in qua indicantur aquæ quantitates liquoribus addendæ alcoholicis quos ad gradus inferiores adducere sæpius oportet. Liquores alcohole ditissimos habuimus eos qui gradus 90, 89, 88, 87, 86 et 85 alcoholometro indicant, ac quantitates aquæ eis infundendas, ut ad gradus inter 90 et 49 intermedios imminuantur, computatione determinavimus.

Tabula ita constructa est ut in prima linea horizontali scribantur gradus alcoholometrici aqua diluendi, dum in prima columna verticali leguntur gradus liquorum quæsitorum ; in quaque divisione verticali sequenti notantur aquæ addendæ quantitates. Ubi igitur duæ lineæ, quarum una a gradu diluendo deorsum descendit et altera a gradu obtinendo horizontaliter protrahitur, se invicem secant, ibi legitur aquæ copia ponderalis unitati liquoris alcoholici diluendi injicienda.

Illustretur hæc regula exemplo. Ponamus 7 kilogrammata alcoholis 86° ad alcoholem 60° reducenda.

In linea prima tabulæ, horizonti parallela, quærendus est numerus 86°. Series fractionum decimalium ab hoc numero procedens lineam horizontalem, quæ a gradu 60 oritur, intersecat. Ibi notat fractio 0,5465 quantitatem aquæ uni kilogrammati alcoholis 86° addendam ut ad 60° reducatur. Ergo quantitas, 7 kilogrammatibus alcoholis 86°, ut ad 60° imminuantur, infundenda, adæquabit 7×0,5465 seu 3^{k}, 8255.

TABULA PRIMA

gradus Aræometri pharmaceutici, Aræometri Beaumeani et Alcoholometri centesimalis cum densitate liquorum aqua leviorum, temperatura 15°, comparans.

Aræometrum pharmaceuticum.	Aræometrum Beaumeanum.	Alcoholometrum centesimale.	Densitas liquoris.	Aræometrum pharmaceuticum.	Aræometrum Beaumeanum.	Alcoholometrum centesimale.	Densitas liquoris.
0	10	0	1.0000	26	36	86.0	0.8471
1	11	4.6	0.9935	27	37	87.5	0.8421
2	12	10.1	0.9863	28	38	89.1	0.8372
3	13	16.3	0.9796	29	39	90.5	0.8324
4	14	23.0	0.9730	30	40	92.0	0.8276
5	15	29.0	0.9669	31	41	93.3	0.8229
6	16	34.4	0.9600	32	42	94.5	0.8182
7	17	38.5	0.9530	33	43	95.7	0.8136
8	18	43.2	0.9473	34	44	96.8	0.8090
9	19	47.3	0.9412	35	45	98.1	0.8045
10	20	49.7	0.9350	36	46	98.8	0.8000
11	21	52.7	0.9290	37	47	99.8	0.7956
12	22	55.6	0.9231	38	48		0.7912
13	23	58.5	0.9172	39	49		0.7868
14	24	61.0	0.9114	40	50		0.7826
15	25	63.6	0.9057	41	51		0.7783
16	26	66.0	0.9000	42	52		0.7742
17	27	68.4	0.8944	43	53		0.7700
18	28	70.6	0.8889	44	54		0.7659
19	29	72.7	0.8834	45	55		0.7619
20	30	74.8	0.8781	46	56		0.7579
21	31	76.8	0.8727	47	57		0.7539
22	32	78.9	0.8675	48	58		0.7499
23	33	80.7	0.8625	49	59		0.7461
24	34	82.5	0.8571	50	60		0.7422
25	35	84.3	0.8521	51	61		0.7384

TABULA II

conferens gradus Aræometri pharmaceutici vel Beaumeani cum densitate liquorum aqua graviorum, temperatura 15°.

Gradus Aræom. pharm.	Densitas liquorum.	Gradus Aræom. pharm.	Densitas liquorum.
0°	1,000	38	1,359
1	1,007	39	1,372
2	1,014	40	1,384
3	1,022	41	1,398
4	1,029	42	1,412
5	1,036	43	1,426
6	1,044	44	1,440
7	1,052	45	1,451
8	1,060	46	1,470
9	10,67	47	1,485
10	1,075	48	1,501
11	1,083	49	1,516
12	1,091	50	1,532
13	1,100	51	1,549
14	1,108	52	1,566
15	1,116	53	1,583
16	1,125	54	1,601
17	1,134	55	1,618
18	1,143	56	1,637
19	1,152	57	1,656
20	1,161	58	1,676
21	1,171	59	1,695
22	1,180	60	1,714
23	1,190	61	1,736
24	1,199	62	1,758
25	1,210	63	1,779
26	1,221	64	1,801
27	1,231	65	1,823
28	1,242	66	1,847
29	1,252	67	1,872
30	1,261	68	1,897
31	1,275	69	1,921
32	1,286	70	1,946
33	1,298	71	1,974
34	1,309	72	2,002
35	1,321	73	2,031
36	1,334	74	2,059
37	1,346	75	2,078

TABULA III

qua dignosci potest sat accurate vis vera liquoris alcoholici, cujus vis ficta nota est alcoholometro centesimali, alia quam + 15° temperatura.

Vis ficta centesimalis.	Multiplicator pro uno gradu temperaturæ.	Vis ficta centesimalis.	Multiplicator pro uno gradu temperaturæ.
1	0.06	55	0.35
5	0.10	60	0.34
10	0.15	65	0.33
15	0.23	70	0.32
20	0.29	75	0.31
25	0.36	80	0.30
30	0.40	85	0.28
35	0.41	90	0.25
40	0.40	95	0.21
45	0.38	100	0.18
50	0.37		

TABULA IV

eadem ac præcedens, sed ita mutata ut alcoholis copiam præbeat.

Vis ficta centesimalis.	Multiplicator pro uno gradu temperaturæ.	Vis ficta centesimalis.	Multiplicator pro uno gradu temperaturæ.
5	0.10	55	0.40
10	0.12	60	0.39
15	0.20	65	0.39
20	0.28	70	0.38
25	0.37	75	0.38
30	0.42	80	0.37
35	0.43	85	0.36
40	0.43	90	0.34
45	0.42	95	0.31
50	0.40		

TABULA V

exhibens copiam aquæ kilogrammati liquoris alcoholici addendam, ut exinde oriatur liquor inferioris alcoholometrici gradus.

Gradus liquoris obtinendi.	90°	80°	88°	87°	86°	85°
89	0.0151					
88	0.0307	0.0152				
87	0.0464	0.0307	0.0151			
86	0.0623	0.0464	0.0306	0,0152		
85	0.0785	0.0624	0.0463	0.0307	0.0152	
84	0.0952	0.0788	0.0624	0,0466	0.0307	0.0154
83	0.1119	0.0953	0.0788	0.0628	0.0468	0.0311
82	0.1295	0.1126	0.0958	0,0794	0.0632	0.0473
81	0.1472	0,1301	0.1129	0,0963	0.0799	0.0637
80	0.1653	0.1479	0.1305	0,1136	0.0969	0.0805
79	0.1836	0.1660	0.1483	0.1312	0.1142	0.0975
78	0.2026	0.1846	0.1667	0,1493	0.1320	0.1150
77	0.2220	0.2037	0.1855	0.1678	0.1502	0.1330
76	0.2418	0.2233	0.2047	0.1867	0.1689	0.1514
75	0.2621	0.2432	0.2244	0.2061	0.1880	0.1702
74	0,2831	0,2639	0.2447	0.2262	0.2078	0.1896
73	0,3044	0,2849	0.2654	0.2461	0.2278	0.2095
72	0,3264	0.3066	0.2867	0.2676	0.2485	0.2298
71	0.3489	0.3288	0.3086	0.2893	0.2698	0.2507
70	0,3719	0.3515	0.3310	0.3112	0.2915	0.2721
69	0.3959	0,3751	0.3542	0.3340	0.3140	0.2943
68	0.4202	0.3990	0.3778	0.3573	0.3369	0.3169
67	0.4454	0.4238	0.4022	0.3813	0.3605	0.3401
66	0.4709	0.4490	0.4270	0.4057	0.3846	0.3638
65	0,4974	0.4750	0.4527	0.4310	0.4095	0.3884
64	0.5249	0.5021	0.4793	0.4572	0.4334	0.4138
63	0.5528	0.5296	0.5064	0.4839	0.4616	0,4395
62	0.5823	0.5587	0.5350	0.5122	0.4894	0.4671
61	0.6118	0.5879	0.5636	0.5403	0.5172	0,4944
60	0.6432	0.6184	0.5939	0.5701	0.5465	0.5233
59	0.6748	0.6497	0.6247	0.6005	0.5765	0.5528
58	0.7078	0.6823	0.6568	0.6321	0.6076	0.5834
57	0.7418	0.7158	0.6898	0.6646	0,6396	0.6150
56	0,7769	0.7503	0.7238	0.6981	0,6726	0.6475
55	0 8129	0.7858	0.7588	0.7323	0.7063	0.6809
54	0.8509	0.8233	0.7756	0.7688	0,7423	0.7161
53	0.8897	0,8615	0.8332	0.8059	0,7788	0.7521
52	0.9306	0.9017	0.8729	0.8450	0,8173	0.7900
51	0.9128	0.9433	0.9139	0.8853	0,8570	0.8291
50	1.0159	0.9858	0.9557	0.9266	0.8976	0.8692

TABULA VI

exhibens alcoholis absoluti et aquæ copiam quam, in litro et in unitate ponderis, liquores alcoholici cujusvis alcoholometri gradus continent ; adjecta horum liquorum densitate.

Gradus alcoholometri centesimalis.	PONDUS SPECIFICUM.	QUÆ, IN UNO LITRO liquoris, continentur kilogramm.		Quæ, in unitate ponderali misceIæ, continentur alcoholis absoluti partes.	Gradus alcoholometri centesimalis.	PONDUS SPECIFICUM.	QUÆ, IN UNO LITRO liquoris, continentur kilogramm.		Quæ, in unitate ponderali misceIæ, continentur alcoholis absoluti partes.
		alcoholis absoluti.	aquæ.				alcoholis absoluti.	aquæ.	
0	1.0000	0.0000	1.0000		51	0.9327	0.4053	0.5276	0.4344
1	0.9986	0.0079	0.9907	0.00796	52	0.9309	0.4132	0.5177	0.4439
2	0.9970	0.0159	0.9811	0.01594	53	0.9287	0.4212	0.5077	0.4535
3	0.9956	0.0238	0.9718	0.02395	54	0.9269	0.4291	0.4978	0.4630
4	0,9942	0,0318	0,9624	0.03197	55	0.9247	0.4371	0.4876	0.4727
5	0.9927	0.0397	0.9532	0.04095	56	0.9227	0.4450	0.4777	0.4823
6	0,9915	0.0477	0.9438	0.04809	57	0.9206	0.4530	0.4676	0.4920
7	0.9903	0.0556	0.9347	0.05613	58	0.9185	0.4609	0.4576	0.5018
8	0.9891	0.0636	0.9255	0.06428	59	0.9163	0.4689	0.4474	0.5117
9	0.9878	0.0715	0.9163	0.07240	60	0.9141	0.4768	0.4373	0.5216
10	0.9866	0.0795	0.9071	0.08055	61	0.9118	0.4848	0.4270	0.5317
11	0,9855	0,0874	0.8981	0.08871	62	0.9097	0.4927	0.4170	0.5416
12	0.9843	0.0954	0.8889	0.09689	63	0.9072	0.5007	0.4065	0.5519
13	0.9833	0.1033	0.8800	0.10510	64	0.9049	0.5086	0.3963	0.5620
14	0.9822	0.1113	0.8709	0.11330	65	0.9027	0.5165	0.3862	0.5723
15	0.9812	0.1192	0.8620	0.1215	66	0.9005	0.5245	0.3758	0.5826
16	0.9802	0.1272	0.8530	0.1297	67	0.8980	0.5324	0.3656	0.5929
17	0.9792	0.1351	0.8441	0.1380	68	0.8956	0.5404	0.3552	0.6034
18	0,9753	0.1431	0.8352	0.1463	69	0.8931	0.5483	0.3448	0.6139
19	0.9773	0.1510	0.8263	0.1545	70	0.8907	0.5563	0.3344	0.6246
20	0.9762	0.1589	0.8173	0.1628	71	0.8882	0.5642	0.3240	0.6353
21	0.9753	0.1669	0.8084	0.1711	72	0.8856	0.5722	0.3134	0.6461
22	0,9743	0.1749	0.7994	0,1794	73	0.8831	0.5801	0.3031	0.6570
23	0.9732	0.1828	0.7904	0.1878	74	0.8805	0.5881	0.2924	0.6679
24	0.9721	0.1907	0.7814	0,1962	75	0.8779	0.5960	0.2819	0.6790
25	0.9710	0.1987	0.7724	0.2046	76	0.8752	0.6040	0.2712	0.6901
26	0.9700	0.2066	0.7634	0.2130	77	0.8726	0.6119	0.2607	0.7013
27	0.9690	0.2146	0.7544	0.2214	78	0.8699	0.6199	0.2500	0.7126
28	0.9679	0.2225	0.7454	0.2299	79	0.8671	0.6178	0.2393	0.7240
29	0.9669	0,2305	0,7365	0.2384	80	0.8645	0,6358	0.2287	0.7354
30	0.9657	0,2384	0.7273	0.2469	81	0.8617	0.6437	0.2180	0.7470
31	0,9645	0.2463	0.7182	0.2554	82	0.8589	0.6516	0.2073	0.7587
32	0.9633	0.2543	0.7090	0.2640	83	0.8560	0.6596	0.1964	0.7706
33	0.9621	0.2623	0.6998	0.2726	84	0.8531	0.6675	0.1856	0.7823
34	0.9608	0.2702	0.6906	0.2812	85	0.8502	0.6755	0.1747	0.7946
35	0.9594	0.2782	0.6812	0.2899	86	0.8472	0.6834	0.1638	0.8067
36	0.9580	0.2861	0.6719	0.2985	87	0.8442	0.6914	0.1528	0.8190
37	0.9567	0.2940	0.6626	0.3074	88	0.8411	0.6993	0.1418	0.8314
38	0.9553	0.3020	0.6533	0.3160	89	0.8379	0.7073	0.1306	0.8442
39	0.9538	0.3099	0.6439	0.3249	90	0.8346	0.7152	0.1194	0.8570
40	0.9522	0.3177	0.6345	0.3338	91	0.8312	0.7232	0.1080	0.8701
41	0.9508	0.3258	0.6250	0.3427	92	0.8277	0.7311	0.0966	0.8833
42	0.9491	0.3338	0.6153	0.3517	93	0.8242	0.7391	0.0851	0.8967
43	0.9474	0.3417	0.6057	0.3607	94	0.8205	0.7470	0.0735	0.9104
44	0.9457	0.3497	0.5960	0.3699	95	0.8168	0.7550	0.0618	0.9244
45	0.9440	0.3576	0.5864	0.3788	96	0.8128	0.7629	0.0499	0.9387
46	0.9422	0.3656	0.5766	0.3880	97	0.8086	0.7709	0.0377	0.9533
47	0.9403	0.3735	0.5668	0.3972	98	0.8041	0.7788	0.0253	0.9686
48	0.9385	0.3815	0.5570	0.4064	99	0.7993	0.7868	0.0127	0.9844
49	0,9367	0.3894	0.5473	0.4157	100	0.7947	0.7947	0.0000	1.0000
50	0.9348	0.3974	0.5374	0.4251					

IV. REGULÆ GENERALES.

I. DE COLLIGENDIS, SICCANDIS ET ASSERVANDIS MEDICAMENTIS SIMPLICIBUS.

1. Quæ ad materiam pharmaceuticam pertinent medicamenta sint genuina notisque propriis distincta.

Emantur solida, non in pulvere, sed integra vel in frustis quibus de nativis characteribus possit inquiri. Quæ in crystallos cogi possunt, sumantur in statu crystallino, qui fraudes generatim excludit.

2. Omnes plantarum partes e stirpibus sponte nascentibus, rarissime e cultis utpote minoris efficaciæ, carpantur; incultæ si deficiunt, e patria importandæ sunt siccatæ, nisi cultura diuturna cœlo nostro consueverint.

3. *Radices* annuæ evellantur ineunte florescentiæ tempore: biennes versus finem prioris anni; perennes, anno altero aut tertio, generatim autumno; tum brevi lotione a sordibus liberatæ, siccentur in loco calido, ventis pervio aut leni calore fornacis aptæ.

4. *Bulbi* generatim autumno, quum folia marcent, colligantur, ast seligendi bulbi novi qui caulem aut scapum floriferum non dederint. Crassiores in taleolas secti, filis suspensi vel super cratibus expansi, calore blando siccentur.

5. *Gemmæ* primo vere, quo tempore turgidulæ sunt et ante foliorum explicationem, decerpantur.

6. *Herbæ,* ineunte florescentia, cœlo sicco, nec rore sparsæ, colligantur: aromaticæ, e solo sicco, edito et aprico; acres, e loco humido paludoso. Indigenæ quotannis recentes comparari debent.

Herbarum exsiccatio citissime fiat, aut calido, umbroso et perflato loco, aut lento fornacis calore.

7. *Folia* carpenda sunt rite expansa sub initio florescentiæ, tempestate sicca et matutina, simul ac solis radii rorem dissipaverint. Caute siccentur uti de radicibus præceptum est.

8. *Flores* non legendi ante plenariam petalorum evolutionem,

Rosa gallica excepta. Labiatis calyces serventur. Cæterum flores tempestate sicca colligendi et eodem modo quo radices siccandi.

9. *Fructus* non nisi maturi decerpantur, si excipias fructus quosdam carnosos, ut Fraga, Mora, Grossularia, fructus Rubi idæi. Capita Papaveris somniferi etiam colligenda sunt nondum omnino matura.

10. *Semina* colligantur perfecte matura, antequam sponte excidant. Eligantur sana, aquâ graviora, locoque aëri pervio probe siccentur, nec foci calore. Quæ capsulas, involucra, etc., retinent semina, ea his munita serventur.

11. *Cortices* vernali tempore generatim detrahendi ramis nec junioribus, nec annosis. Siccentur uti radices.

12. *Ligna* succidantur hyeme, quo virtus maxima viget.

13. Omnia probe siccata ac sordibus terreis aliisque quisquiliis liberata, serventur in loco sicco et obscuro. Substantiæ aromaticæ et resinosæ vitreis condantur vasis, apte claudendis.

II. DE PRÆCIPUIS OPERATIONIBUS PHARMACEUTICIS.

Quum in Codice operationes pharmaceuticæ paucis tantum verbis indicantur, regulas generales quas in præcipuis operationibus sequi conducit, hic præmittere non inutile duximus.

AQUÆ DESTILLATÆ AROMATICÆ.

1. Flores ac folia, quæ aquis destillatione parandis inserviunt, sint vel recentia vel recens siccata.

2. Cortices, radices seminaque, plus minusve conscissa, vel contusa, prius macerationi per decem aut duodecim horas subjiciantur.

3. Destillatio fiat, cum aqua fontana, in apparatu ita disposito ut quæ destillationi submittuntur vegetabilia, ad præcavendum empyreuma, ignis vim non directe recipiant. Quam ob rem, destillanda, telæ ferreæ ope, ab inferiori vasis parte amoveantur, vel instituenda destillatio in balneo liquoris chlorureti calcii.

4. Flamma nunquam superet eam alembici partem, quam aquæ superficies attingit.

5. Fiat generatim destillatio e vesica cuprea, stanno intus obducta, impositis capitello et tubo refrigeratorio e stanno confectis, ne ulla ratione aqua veneno cuprico possit inquinari.

6. Curandum ut apparatus destillatorius ab omni odore alieno sit liber. Hinc seligenda præsertim vasa frigidaria quæ facilius expurgari possunt.

7. Floribus ac herbis aromaticis superaffundatur aquæ copia circiter tripla pondere aquæ destillatæ colligendæ, nec vesica ultra duas tertias partes est implenda ne, sub operatione, materia turgens in alembicum transeat.

8. Non cum nimia substantiarum vegetabilium copia destillatio instituatur, sed potius omni horæ dimidio planta in vesica destillatoria renovetur.

9. Corporum valde fragrantium et præsertim eorum quæ olea ætherea leviora continent, destillationem aquæ vapore instituere conducit. Hoc in casu, apparatus ita sit dispositus ut aquæ bullientis vapores ducantur per ipsa corpora destillationi subjicienda.

10. Oleum si in superficie aquæ destillatæ conspiciatur, non amovendum nisi aqua cum eo prius agitetur. Quod dein, quiete concessa, aquæ aromaticæ innatat vel hujus fundum petit, exacte separetur, et aqua, in lagenis primo die cono chartaceo et dein epistomio vitreo claudendis, in loco obscuro et frigido servetur.

11. Aquæ aromaticæ si oleo æthereo excedente turbidæ sint, ante usum per chartam aqua madentem filtrentur. Odorem plantarum e quibus eliciuntur redoleant, oleo æthereo maxime refertæ; ne sint fuscæ, neque odoris empyreumatici, neque mucilaginosæ aut flosculis innatantibus intermixtæ. Nonnisi brevi tempore asservari queunt.

ALCOHOLATA SIVE SPIRITUS DESTILLATI.

1. Quæ destillationi subjicienda, pro sua varia indole, concisa, contusa vel pulverata sint.

2. Prævia maceratio cum alcohole præscripto, in vase clauso,

per horas viginti quatuor et quidem per biduum pro substantiis durioribus, instituenda est generatim.

3. Fiat destillatio ex balneo aquæ et cum spiritu vini rectificato densitatis præscriptæ. Curandum ut liquor elicitus in vas excipiens defluat omnino refrigeratus. Hic præterea valent quæ de parandis aquis destillatis sub N[is] 5 et 6 indicata sunt.

4. Alcoholata sint limpida, fragrantia, ac in lagenis arcte claudendis, loco frigidiusculo, servanda.

DECOCTA.

1. Vasa, in quibus decocta parantur, sint e stanno vel cupro probe stannato confecta, vel, si acida aut alcalina decoctis insunt, porcellanea aut vitrea.

2. Fiat coctio in vase clauso, igne leni, non interrupto, et, ni aliter præscriptum sit, per horæ quadrantem pro floribus, herbis aut radicibus plus minusve mucilaginosis, per semihoram pro corticibus, lignis ac radicibus durioribus.

3. Peracta coctione, liquor fervidus premendo coletur et quam citissime refrigeretur, excepto casu quo medicamina quædam decocto infundenda sunt.

4. Si medicaminum dosis a Medico non notatur, sumat in universum Pharmacopola, pro colatura partium 1000, florum aut foliorum partes 30, radicum, lignorum seu corticum partes 60. — Si decoctum *concentratum* edictum est, paretur cum duplici medicaminum dosi, et cum quadrupla, si *concentratissimum*. Notandum præcepta hæc non valere pro medicaminibus narcoticis aut heroïcis, quorum dosis sedulo enuncianda est a Medico.

ELECTUARIA.

1. Ea omnia quæ electuariis parandis inserviunt, ita terendo commisceantur, ut pulpam æquabilem exhibeant.

2. Frequenter ac penitus subigendæ sunt electuariorum massæ, in vasis faventinis tectis, loco frigido et sicco, servandæ.

EMPLASTRA.

1. Corpora pinguia quibus conficiuntur emplastra, in vase figu-

lino aut cupreo stannato, generatim balneo vaporis liquentur, et cum cæteris substantiis rite misceantur.

2. Emplastra inter refrigerandum strenue agitata et prope frigida supra lapidem marmoreum in cylindros fingi possunt servarique chartâ involuta. Quædam, dum adhuc calore liquida, in vasa figulina immittere licet ; quæ autem volatilia continent, vesicula includantur.

3. Emplastra calore leni mollescant et supra linteum aut pellem expansa cutique admota, mollia maneant et huic facile adhæreant, nec tamen liquescant.


4. Fere nunquam accurate indicatur mensura emplastrorum. Refertur enim ad rem quamdam formæ et magnitudinis plus minusve notæ, v. g., ad quartam schedæ partem aut chartam lusoriam, vel indicatur corporis parte cui emplastrum adplicandum est. Ita quandoque mandata Medici falluntur, quia nulla datur certa exsequendi norma. Ad vitanda quæ exinde oriuntur incommoda, Pharmacopola adæquabit :

Dimidiam schedam	rectangulo	longit.	30	latitud.	19	centim.
Schedæ quadrantem	»	»	19	»	15	»
Chartam lusoriam	»	»	9	»	6	»
Palmam (manus)	»	»	8	»	8	»
» majorem	»	»	9	»	9	»
» minorem	»	»	7	»	7	»

Habebit emplastrum adplicandum :

Lateri	longitud.	19	latitud.	15	centim.
Brachio	»	5	»	4	»
Cervici	»	6	»	5	»
Temporibus	»	3	»	2	»
Suris	»	10	»	7	»

Alias divisiones Medicus centimetris exprimat necesse est, aut numero indicet, secundum tabulam obversam, emplastrum ovatum aut rotundum. Margo numeris præscriptis non annumeratur. Notandum est numerum, pro emplastro rotundo, mensuram diametri, et, pro emplastro ovato amplitudinem diametri minoris centimetris exprimere, uti figura sequens indicat.



EXTRACTA.

1. *Extracta aquosa* parentur cum aqua destillata et vegetabilibus selectis, rite siccatis vel recentibus, prout res postulat.

2. Obtinentur tum expressione plantarum, tum maceratione frigida aut calida, interdum etiam coctione.

3. Pro extractis expressione parandis, generatim adhibeantur herbæ recentes, quæ lotæ et, si opus est, pauxillo aquæ destillatæ irroratæ, in mortario lapideo contundantur in pultem ac dein panno cannabino aut sacco linteo inclusæ fortiter premantur. Succus leniter calefiat ut, albumine, ni aliter præscriptum sit, coagulato ac fæcibus in superficie sponte congestis depuretur

et, post subsidentiam per pannum colatus, lenissimo calore ad debitam crassitudinem inspissetur.

4. Ad extracta maceratione paranda advocetur, quantum fieri potest, methodus lixiviatoria, cujus ope materiæ solubiles minima aquæ copia extrahuntur.

5. Materiæ extrahendæ, plerumque siccatæ ac minutim concisæ aut contusæ vel etiam pulveratæ, pro varia sua indole ac cohæsione, adhibeantur.

6. Antequam in apparatum depulsorium vel lixiviatorium ingerantur, cum aquæ duplici circiter pondere misceantur; tum post horas decem aut duodecim, in apparatu epistomio inferne munito, laxe vel confertim sternantur. Materiæ lignosæ, fibrosæ, fortius comprimantur; mucilaginosæ autem, amylaceæ necnon in molem glutinosam concrescentes remisse in apparatum immittendæ sunt, nisi tamen pro faciliori extractione simplex maceratio, quam sequatur expressio fortis, lixiviationi sit anteponenda.

7. Liquores evaporandi, si non limpidi sunt, subsidentia ac colatione per pannum linteum, nunquam clarificatione cum ovorum albumine depurentur.

8. Evaporatio ita instituatur ut quam minimo temporis spatio fiat, sed cavendo ne vividiori igne solutio alteretur. Ad diuturnam caloris actionem præcavendam, solutiones tenuiores seorsim a fortioribus sunt evaporandæ, et ubi nimia liquoris copia est inspissanda, evaporatio per partes instituatur.

9. In evaporatione agitatio assidua conducit, quia vaporis effugium fovet et liquorum incalescentiam nimiam inhibet. Albumen vegetabile coagulatum colatione est separandum et, quum liquor ad syrupi tenuioris spissitudinem pervenerit, nunquam est altera solutione diluendus, sed absolvenda evaporatio in patinis porcellaneis balneo aquæ aut furno exsiccatorio calefactis.

10. Coctione parantur pauca tantum extracta : qualia sunt extracta Cascarillæ, Corticis peruviani, Guaiaci, Quassiæ, quorum species minutim concisæ, aut, si fieri potest, pulveratæ cum aquæ quadruplo aut sextuplo, in vase clauso, leniter ebulliant,

dein fervidæ premendo colentur et semel vel bis cum minore aquæ pondere coquantur.

11. Eo melius asservantur extracta aquosa, quo minorem aquæ copiam retinent. Hinc plura, et præsertim adstringentia, ad siccum evaporare conducit.

12. *Extracta alcoholica et ætherea.* Substantiæ extrahendæ rite divisæ, per biduum, in vase clauso, interdum conquassatæ, macerentur cum alcoholis vel ætheris quadruplo. Expressione separetur liquor, ac iterum atque iterum digeratur residuum cum dimidio fere pondere alcoholis vel ætheris ad macerationem adhibiti, ut solubile quidquid, vel prelo vel methodo depulsoria, extrahatur. Si lixiviatio instituitur, spiritum post extractionem in massa remanentem cum aquæ tantillo elicere conducit. Tum liquores collecti, subsidentia ac filtratione depurati, ex aquæ balneo destillentur donec duæ tertiæ partes transierint, residuumque leni calore, sub agitatione ad debitam crassitudinem inspissetur.

13. Quæ humorem aëris attrahunt extracta, in vasis vitreis vel porcellaneis clausis condantur.

INFUSA.

1. Materiæ medicatæ infusioni submittendæ, probe divisæ, cum aqua destillata ad ebullitionem fere calefiant in vase tecto; quo ab igne remoto, miscelam cola post macerationem horæ octantis. Infusum, si partes aromaticæ aut volatiles insint, ne coletur antequam refrixerit.

2. Infusa frigida, *macerata* dicta, methodo lixiviatoria optime perficiuntur.

3. Quæ pro decoctis sub N° 4 præscripta sunt, etiam pro infusis valent, hoc tamen discrimine, quod dimidia tantum medicaminis extrahendi dosis est sumenda.

OLEA ÆTHEREA.

1. Observanda sunt præcepta quæ pro aquis aromaticis destillatione parandis sub N^{is} 1-8 indicantur.

2. Quæ stillaverit aqua ab oleo secernatur ac in vesicam

destillatoriam refundatur quamdiu e substantiis aromaticis oleum prodit, aut cum altera substantiæ copia destillationi subjiciatur ; quod pluries repetendum, ubi elicienda est olei magna copia.

3. Olea ætherea ab aqua sedulo separentur et in vasis vitreis minoribus, repletis arcteque clausis, loco umbroso et frigido, serventur.

4. Recenter parata limpida ac decolora sunt ; sed temporis tractu colorem varium assumunt eorumque densitas sæpius augetur. Hinc pondus specificum oleorum æthereorum quodam modo variat. Vide pag. 297.

5. Olea ætherea, quæ aquis aromaticis ex tempore parandis inserviunt, statim post extractionem cum alcoholis quantitate congrua miscere conducit.

PILULÆ.

1. Gummi resinæ, pilulis immiscendæ, sint depuratæ et pulveratæ.

2. Si Medicus in formula pilularum majorem extractorum præscripserit copiam, quam quæ ad massam justam sufficit, extracta ad eam consistentiam evaporentur, ut e miscela substantiarum omnium quæ in partem massæ veniunt, pilulæ apte formari possint.

3. Nisi aliter a Medico mandatum fuerit, pilulæ viginti centigrammata pendant, Lycopodio conspergendæ.

PULVERES.

1. Corpora in pulverem extenuanda prius a quisquiliis mundata et siccata sint, oportet. Ante hanc operationem, Nuces vomicæ et Agaricus albus limanda sunt. Gummi-resinarum pulveratio hieme instituenda est, et pulveratæ dicuntur *depuratæ.*

2. Partes vegetabiles ac animales in mortario ferreo polito ; salia autem aliaque corpora metallum exedentia, in mortariis lapideis pulverentur.

3. Medicamina quæ pulverata præscribuntur, eo usque con-

tundantur aut terantur quoad prorsus per cribrum sericeum transeant. Sistatur labor quum nil nisi sordes cribrum retinet.

Pulveres ita parati ac probe siccati in vasis clausis serventur, ne aëris humorem attrahant.

4. Quædam substantiæ nonnisi cum adminiculo alius corporis pulverantur, uti Camphora cum pauxillo alcoholis, Vanilla cum saccharo, etc.

5. Radices ac cortices texturæ compactæ, nullo relicto residuo, sunt pulverandæ. Fibrosarum autem substantiarum extenuatio sistenda quum fibrillæ tantummodo in cribro hærent. Florum ac foliorum quarta pars sub pulverisatione rejiciatur.

6. Pulverata accuratissime misceantur, ut massa fiat homogenea.

7. Substantiæ nonnullæ, ut Bolus armena, Mercurius dulcis, Sulphuretum antimonii, etc., levigando cum aqua in pulverem intactilem redigantur.

SYRUPI.

1. Liquores syrupis parandis inservientes, antequam solvatur saccharum, clari sint, oportet.

2. Adhibeatur semper saccharum *Raffinatum* albissimum, cujus solutionem lenis calor adjuvet, syrupus dein coletur ante refrigerationem.

3. Sint limpidi, exceptis syrupis Chinæ, Amygdalarum aut iis qui substantias resinosas aut balsamicas continent. Nunquam flocculos aut corpora sedimentosa suspensa teneant, nec post refrigerium crystallos sacchari deponant.

4. Sint generatim syrupi frigidi 36° seu ponderis specifici 1,334. In lagenis plenis, loco frigido, asserventur.

TINCTURÆ.

1. Quæcumque ad parandas tincturas advocantur, sicca et minuta sint necesse est; quædam tamen recentia nec siccata adhibentur.

2. Fiat generatim principiorum solubilium extractio tempe-

ratura 12° — 20° ; celerius tamen absolvitur, si opus est, leni calore adjuvante. Alcohol extractioni serviens per partes semper, ac repetita vice, addatur.

3. Digestio frigida apprime in apparatu lixiviatorio instituitur; calida autem, in cucurbitis vitreis tantæ amplitudinis, ut digerenda dimidium tantummodo impleant.

4. Digestione peracta, solutio alcoholica in residuo non soluto remanens leni pressione per pannum linteum eliciatur, et solutiones commixtæ per chartam bibulam filtrentur.

5. Serventur tincturæ in lagenis probe clausis, loco umbroso.

UNGUENTA.

1. Corpora pinguia non volatilia, in vase idoneo, balneo vaporis liquata, misceantur, per pannum linteum colanda; colatis dein addantur pulveres sub agitatione continua donec massa refrixerit. Aqua, si adest, evaporatione abeat.

2. Substantiæ volatiles nonnisi unguento refrigescenti immiscendæ.

3. Quibus principium volatile inest, ea serventur in vasis arcte clausis, et quia vetustate, calore ac aëre, præsertim humido, omnia fere rancorem contrahunt, non nimià copià paranda nec diu servanda.



PARS PRIMA.

MATERIA PHARMACEUTICA.

PARS PRIMA.

MATERIA PHARMACEUTICA.

ABSINTHIUM, Herba cum summitatibus.

Artemisia absinthium L. (Syngenesia Polygamia superflua L.; fam. Compositæ). Planta perennis, herbacea, vix indigena, sed in hortis frequenter culta.

Herba, foliis decompositis utrinque cano-sericeis, inferioribus bipinnatifidis, summis pinnatifidis indivisisque, florum capitulis subglobosis, secundis, nutantibus, in racemos foliatos paniculatos dispositis. Folia æque ac flores, sub efflorescentiæ initio colligendi, odoris gravis, aromatici, saporis intense amari, acris.

Ne confundas cum Artemisia vulgari L., cujus folia superne saturate viridia, subtus albo-tomentosa et minore amaritie prædita.

SUB-ACETAS CUPRI.

ACETAS BICUPRICUS.

Cuprum subaceticum. Ærugo. Viride aëris.

Prostat in panibus vel glebis compactis, opacis, tactu asperis, e viridi cærulescentibus, saporis ingrate metallici. In aqua partim, in acido acetico plane solvitur. Caute serva.

ACETAS PLUMBI VENALIS.

ACETAS PLUMBICUS.

Saccharum vel sal Saturni s. *Plumbi.*

Sal crystallos exhibens minutas, albas, prismaticas, cohærentes, subdiaphanas, nitentes, saporis primum dulcis, dein styptico-metallici, aëris contactu superficie subfatiscentes, in aquæ partibus binis solubiles. Servetur in vasis clausis.

Depuretur encheiresi in altera parte Codicis dicta.

ACETUM.

Liquor limpidus, modo coloris expers, modo flavescens, modo ruber, odoris et saporis excitantis grate acidi, et tantæ aciditatis ut viginti partes ad partem unam carbonatis sodæ exsiccati neutralisandam sufficiant.

Detegitur adulteratio aceti cum acido sulphurico, præcipitatione acetatis plumbi, sedimento in acido nitrico diluto haud solubili; accuratius vero si acetum, admixto saccharo et evaporatione in balneo aquæ ad syrupi consistentiam reductum, colorem fusco-nigrescentem assumat. Dignoscitur inquinatio cum acido chlorhydrico, si in aceto destillato, solutio nitratis argenti sedimentum dejicit album, in liquore ammoniæ causticæ solubile; cum acido tartarico, si acetum, potassa neutralisatum, ope chlorureti calcis præcipitatur. Acrimonia spuria, digestione vegetabilium acrium effecta, post saturationem cum potassa aut soda, gustu facile dignoscitur. Metalla noxia, aqua hydro-sulphurata et ferro-cyanureto potassæ explorantur. Aceti sedecima pars destillatione abrepta et cum potassa supersaturata, igni admota, fuscum colorem, quo Aldehydum agnoscitur, ne recipiat, nec major alcoholis quantitas ipsi sit immixta.

Acetum vini gallicum aliis præferendum est. Cum chlorureto baryi nonnisi præcipitatum tartratis barytæ, acido nitrico solubile, edat.

Vibriones in aceto orti calore 90—100°C. necantur, et ne denuo appareant, asservetur in vasis repletis probe clausis, loco frigido.

ACIDUM ARSENIOSUM.

Arsenicum oxydatum album. Arsenicum album sublimatum.

Massa compacta, valde gravis, alba aut subflavescens, fragilis, in fractura conchoïdea nitens, saporis leviter acris; prunis inspersa, fumi albi ad instar ex toto avolans et alliaceum spargens odorem. In aqua frigida ægre, sed in aquæ fervidæ partibus decem, agitationis ope, solvitur. Cautissime serva.

ACIDUM CHLORHYDRICUM VENALE.

Acidum muriaticum crudum.

Sit incolor aut flavescens, in aëre fumans, ponderis specifici 1,16 usque ad 1,18 (20-22°).

Inquinatur ut plurimum chlorureto ferri, acido sulphurico, acido sulphuroso, etc.; qua de causa ad usum internum adhiberi nequit. Depuretur encheiresi in altera Codicis parte dicta.

ACIDUM NITRICUM VENALE s. CRUDUM.

Liquor peracidus, ponderis specifici 1,34 (36°), in aëre plus minusve fumans, coloris ut plurimum flavescentis ex acidi nitrosi vel ferri, quandoque etiam chlori præsentia, orti.

Pro usu interno nonnisi depuratum adhibeatur. Vide secundam Codicis partem.

ACIDUM SULPHURICUM VENALE.

Liquor acidus, maxime corrosivus, incolor aut vix fucescens, olei spissitudine, cum aqua valde incalescens.

Sit ponderis specifici 1,84, vel gradus areometrici 66°. Quoad inquinationes, vide secundam Codicis partem.

Ad usum internum nonnisi depuratum adhibeatur.

Servetur in vase vitreo probe clauso.

ACIDUM TARTARICUM VENALE.

Crystalli variæ formæ, ut plurimum tamen prismaticæ, albæ, subpellucidæ, saporis peracidi, in aquæ partibus duabus et in alcoholis partibus tribus calore 15° C., solubiles.

Sit liberum ab acido sulphurico, quo humescens redditur, nec non a nimia tartratis calcis copia, quæ præcipitatur si carbonate ammonico supersaturatum fuerit.

ACONITUM, Herba.

Aconitum napellus L.; *Aconitum vulgare* Dec. (Polyandria Trigynia L.; fam. Ranunculaceæ). Planta perennis in locis nemorosis sponte crescens, sed in Belgio rara et sæpius in hortis culta.

Folia digitato-palmata ad petiolum usque ter ad quinque partita, laciniata et acuminata, glabra, superne læte viridia et nitida, subtus pallidiora, saporis intense acris. Flores in racemum densum simplicem dispositi, breviter pedicellati, violaceo-cœrulei, galeati, galea semi-circulari humili, rostro brevissimo, recto, obtuso.

Folia colligantur e planta propediem florigera. Pulvis in vasis luci imperviis et probe clausis servetur, nec ultra annum asservandus.

Ne confundas cum foliis Delphinii intermedii aut montani, minus profunde partitis et subtus pilosis; neque cum Aconito neomontano Willd, cujus flores in racemum laxum subramosum dispositi, galea altior ovata; nec cum Aconito variegato L., cujus flores in racemum paniculatum ordinati sunt.

AGARICUS ALBUS.

Boletus laricis L. et Jacq. (Cryptogamia L.; fam. Fungi), in truncis annosis Pini laricis in Europa australi obvius.

Fungus recens semi-orbicularis sed polymorphus, pileo suberoso-carnoso zonato, poris lutescentibus. Siccatus et epidermide liberatus sistit massam levem, tenacem, friabilem, spongiosam, coloris albi in flavum vergentis, saporis primum subdulcis, dein amaricantis acris.

AGARICUS PRÆPARATUS.

Agaricus Quernus s. *chirurgicorum*.

Boletus igniarius L. et Pers.; *Bol. ungulatus*, Bull., in caudicibus betularum, quercuum, tiliarum et fagorum nascens.

Hic fungus cum præcedenti forma convenit. Præparatus prostat decorticatus et maceratione in aqua et mallei ictibus in lamellas tenues redactus. Ne sit nitro impprægnatus.

ALCANNA, Radix.

Anchusa tinctoria L.; *Alcanna tinctoria* Tausch. (Pentandria Monogynia L.; fam. Borragineæ). Planta perennis Barbariæ et Hispaniæ, in Gallia culta.

Radix siccata cylindrico-fusiformis, subramosa, calami scriptorii crassitudine, longitudinaliter rugosa, epidermide nigrescente, cortice sanguineo, ligno crasso pallidiore, pigmento rubro in oleis pinguibus solubili, prædita.

ALCOHOL.

Spiritus vini simplex.

Sit liquor limpidus, decolor, volatilis, odoris et saporis proprii grate spirituosi, aqua levior, et oleo plus minusve fœtido plane expers, quod, guttis aliquot in aquam fervidam instillatis, odore ac sapore dignoscitur. Ne residuum evaporatione relinquat.

ALLIUM, Bulbus.

Allium sativum L. (Hexandria Monogynia L.; fam. Liliaceæ), planta perennis apud nos inter olera culta.

Bulbus subrotundus ex bulbulis plurimis constans membrana alba chartacea junctis, incurvis, acutis, hinc planis, inde convexis, odoris proprii, graveolentis, saporis subdulcis et acris.

ALOE.

Aloë lucida s. *Soccotrina.*

Succus gummo-resinosus *Aloes spicatæ* Thunb. (Hexandria Monogynia L.; fam. Asphodeleæ), et forsan aliarum Aloes specierum, in Africa australi crescentium, ex foliis vulneratis vel sponte effluens, vel expressus et inspissatus.

Aloë soccotrina frusta formans irregularia, splendentia, e croceo fusca, margine subpellucida, friabilia, in pulverem pallide luteum terenda, odoris et saporis peramari, nauseosi, subaromatici, in spiritu vini ex toto, in aqua quoad maximam partem solubilia.

A promontorio Bonæ Spei Aloes species advehitur soccotrinæ maxime affinis, at minus pellucida, odoris minus grati aromatici, Capensis dicta.

Pro Veterinariis reservantur Aloë hepatica et Aloë barbadensis, quæ massam sistunt opacam, subfuscam vel bruneam, ad margines non pellucidam. Omnium maxime impura est Aloë caballina.

ALTHÆA, Radix, folia, flores.

Althæa officinalis L. (Monadelphia Polyandria L.; fam. Malvaceæ). Planta perennis quæ tum in hortis colitur, tum sponte in Belgio crescit.

Radix e planta annosiore colligenda, cylindrico-ramosa, epidermide tenui grisea tecta, intus alba; siccata et decorticata in segmentis prostat albis, digitum calamumve crassis, parum tenacibus, fragilibus, odoris nullius, saporis mucilaginosi, subamaricantis.

Herba sub efflorescentiam colligenda et siccanda, foliis petiolatis alternis, subcordato-ovatis, sublobatis, inæqualiter dentatis, tomentosis, coloris cinereo-viridescentis, odoris fere nullius, saporis mucilaginosi.

Flores pallide incarnati, pœne inodori et insipidi.

ALUMEN VENALE s. CRUDUM.

SULPHAS ALUMINICO-KALICUS CUM AQUA.

Supersulphas aluminæ et potassæ.

Sal in frustis crystallinis octaedricis, decoloribus, subpellucidis, in aëre paulum fatiscentibus, saporis subdulcis dein styptici, in aquæ frigidæ sedecim partibus et in aquæ fervidæ una circiter parte solubile, in igne ad massam albam spongiosam tumescens, quam in officinis Alumen ustum vocant.

Cave ne sit nimia quantitate ferri inquinatum. Cum potassa caustica tritum, additis aliquot aquæ guttis, ammoniam non emittat.

AMBRA GRISEA.

Invenitur innatans aut ad littora Indiæ orientalis, Africæ, Americæ meridionalis, etc., et concrementum in *Physetere macrocephalo* L. formatum esse creditur.

Ambra grisea frusta refert variæ magnitudinis, ceræ consistentiæ, tactu pinguoso-resinosa, e nigro cinerea, maculis et striis albicantibus aut flavescentibus conspersa, fracturæ granosæ, aqua leviora, leni calore liquescentia, odoris pergrati. In æthere sulphurico fere omnis, in spiritu vini tantum ex parte solvitur. Servetur in vitris clausis.

AMOMI BACCÆ.

Piper Jamaïcense. Pimenta.

Myrtus Pimenta L. (Icosandria Monogynia L.; fam. Myrtineæ), arbor Indiæ occidentalis.

Baccæ immaturæ et siccatæ magnitudinis piperis nigri, vel paulum majores, globosæ, duræ, subrugosæ, umbilicatæ, e fusco nigræ, biloculares, seminibus subrotundis, compressis, fuscis, nitidis, odoris aromatici grati, saporis partim caryophyllorum, partim nucis moschatæ. Maturæ multum aromatis perdidere.

AMMONIACUM GUMMI.

Dorema armeniacum Don; *Ferula orientalis* L. (Pentandria Digynia L.; fam. Umbelliferæ). Planta Africæ orientalis, Persiæ, etc.

Gummi-resina aut ex granis variæ magnitudinis, albo-flavescentibus, intus albidis, subnitidis, opacis, ut plurimum inter se conglutinatis (Amm. in granis), vel ex substantia flavescente seu rufescente cum granis subrufis intermixta, constans (Amm. in massis), tenax, frigore dura, inter digitos parce mollescens, odoris proprii ingrati, saporis amaro-nauseosi, subacris.

Ammoniacum eligatur potissimum in granis, vel in glebis, quibus copiosa grana albo-flavescentia intermixta sunt. Tempestate gelida redigatur in pulverem, ab adhærentibus quisquiliis ope cribri setacei secernendum.

AMYGDALUS, Fructus.

Amygdalus communis L. (Icosandria Monogynia L. fam.; Rosaceæ). Arbor in Oriente et Africa boreali sponte crescens et in Europa meridionali culta.

Amygdalæ dulces nuclei sunt ovati, hinc illinc compressi, acutiusculi, epidermide tenui, subscabra, coloris e rubro fusci tectæ, odoris fere nullius, saporis grati, oleoso-mucilaginei.

Amygdalæ amaræ conveniunt cum dulcibus excepto sapore, qui in hisce amarus, propter Amygdalinam quam continent; humectatæ odorem Laurocerasi spargunt.

Sint recentes, siccæ, fragiles, torosæ, non rancidæ, nec maculis flavis, intus conspicuis, notatæ.

AMYGDALUS PERSICA, Flores.

Amygdalus Persica L.; *Persica vulgaris* Mill. (Icosandria Monogynia L.; fam. Rosaceæ). Arbor Orientis apud nos culta.

Flores laterales, sessiles, solitarii, læte violaceo-rubri, odoris levis grate aromatici, saporis amaro-amygdalini, ante anthesin colligendi celeriterque siccandi.

AMYLUM MARANTÆ s. ARROW-ROOT.

E tuberibus *Marantæ arundinaceæ* L.; *Marantæ indicæ* Rosc. (Monandria Monogynia L.; Cannaceæ R. Brown), et aliarum Marantæ specierum, plantarum perennium Indiæ orientalis et occidentalis, præsertim Jamaïcæ, paratur.

Sit pulvis albissimus, subtilissimus, inodorus, insipidus, ex granulis plus minusve angulosis et nitentibus constans. In aqua fervida solvitur, gelatinam edens inodoram, fere pellucidam, quam iodum colore cœruleo tingit.

Ne sit amylo Solani tuberosi adulteratum, quod detegendum forma sphæroidea granulorum et, si opus est, odore quasi herbaceo, siliquis Phaseoli recentibus persimili, quem fæcula spargit si cum æquali parte acidi chlorhydrici concentrati misceatur et dein aqua diluatur.

AMYLUM s. FÆCULA SOLANI TUBEROSI.

E tuberibus *Solani tuberosi* L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Solaneæ), plantæ notissimæ ex America meridionali ortæ, elicitur.

Pulvis albissimus, insipidus, inodorus, globulis microscopicis forma et volumine majori a globulis amyli Tritici discrepantibus, constans. Pro proprietatibus chemicis vide Amylum Tritici.

AMYLUM TRITICI.

E farina seminum *Tritici hyberni* et *Tritici turgidi* L. (Triandria digynia L.; fam. Gramineæ), relicto principio glutinoso, aqua frigida elota, obtinetur.

Pulvis subtilissimus, albus, odoris et saporis proprii, ex globulis minutissimis, subrotundis constans. Nec aqua frigida, nec alcohole solvitur; cum aqua calida vero in gelatinam abit glutinantem, diaphanam, refrigeratione spissam, quæ, addito iodo, colorem cœruleum assumit.

Sit siccum, albissimum, nec combustum substantias minerales relinquat.

ANGELICA, Radix.

Angelica archangelica L.; *Angelica officinalis* Hoffm. (Pentandria Digynia L.; fam. Umbelliferæ). Planta biennis Europæ præsertim borealis, in hortis culta.

Radix (Rhizoma) fusiformis, pollicem et ultra crassa, rugosa, radicellis instructa numerosis, longis, implicatis, superne calamum scriptorium circiter crassis, extus nigro-fuscis, intus albidis, odoris fortis proprii, grate aromatici, saporis primum aromatici et dulcis, dein subacris et amaricantis. Longitudinaliter secta in canalibus exiguis flavam prodit gummi-resinam. Servetur in vasis clausis.

Ne substituatur radix Angelicæ sylvestris L., odoris et saporis debilioris.

ANGUSTURA, Cortex.

Bonplandia trifoliata Willd.; *Angustura cusparia* Roem et Schult. (Pentandria Monogynia L.; fam. Rutaceæ). Arbor Americæ meridionalis.

Cortex in frustis planiusculis aut convexis, 1 ad 3 millim. crassis, 5 ad 12 centim. longis, 1 ad 3 centim. latis, extus epidermide cinereo-albida, rugis minutis aspera, superficie interna e flavo fusca, lævi, fractura splendente et resinosa, nunquam fibrosa, odoris proprii, aromatici, subnauseosi, saporis subaromatici, subacris, intense amari.

Infusum aut decoctum refrigeratione clarefactum, affuso sulphate ferroso soluto, sedimentum e luteo album, præbet.

Ne substituatur cortex spurius seu Strychni Nucis vomicæ, summe lethalis, externe cinereus, verrucis albis et maculis rubiginosis notatus, interne nigrescens, fractura cinereo-alba, saporis intensissime amari, nauseosi, haud aromatici; cujus infusum, solutione sulphatis ferrosi instillata, ab initio colore virescente tingitur, dein sedimentum nigrum demittit. Guttula acidi nitrici, faciei internæ corticis spurii apposita, maculam rubram, Brucinæ sive Brucii indicium, producit.

ANISUM STELLATUM, Semen.

Illicium anisatum L. (Polyandria Polygynia L.; fam. Magnoliaceæ), arbor Asiæ orientalis et insularum Philippinarum.

Capsulæ sejuges octojugesve, in stellæ formam dispositæ, compressiusculæ, coriaceæ, extus rugosæ, intus lævigatæ, ex fulvo fuscæ vel ferrugineæ, uniloculares, margine superiore dehiscentes, semina includentes ovata, leniter compressa, utrinque obtusa, fusca, nitida, odoris aromatici grati, saporis subdulcis, anisati.

ANISUM VULGARE, Semen.

Pimpinella anisum L. (Pentandria Digynia L.; fam. Umbelliferæ), planta annua orientalis, in Europa culta.

Semina parva, ovata vel subglobosa, longitudinaliter striata, pubescentia, viridia, odoris fragrantis, saporis subdulcis, aromatici.

AQUA.

Pro usu pharmaceutico sit limpida, insipida, odoris expers, nec quiete, nec lucis influxu turbetur.

ARGENTUM FOLIATUM.

Argentum in laminas tenuissimas redactum; in acido nitrico 36° plane solvatur et solutum cum ammonia liquida colorem non excitet cœruleum.

ARISTOLOCHIA, Radix.

Aristolochia rotunda L. (Diadelphia Hexandria L.; fam. Aristolochiæ). Planta perennis Europæ meridionalis.

Radix siccata, subglobosa, tuberosa, ponderosa, rugosa, dura, extus griseo-fusca, intus ex pallido flava, subporosa, odoris nauseosi, saporis ingrate amari, aromatici.

Hodie solummodo a veterinariis præscribitur.

ARMORACIA, Radix.

Cochlearia armoracia L. (Tetradynamia Siliculosa, L.; fam. Cruciferæ). Planta perennis, indigena.

Radix longa, fusiformis, pollicem circiter crassa, ramosa, nodulis aspersa subrotundis, externe subfusca et rugis transversis annulata, interne alba, succulento-carnosa, odoris, si recens, pungentis, acris, saporis similis.

ARNICA, Flores, Radix.

Arnica montana L. (Syngenesia Polygamia superflua L.; fam. Compositæ). Planta perennis, indigena.

Flores compositi, radiati, flavi, solitarii, erecti; flosculis radii longis,

angustis, ligulatis, flosculis disci tubulosis, quinquedentatis, omnibus infra papposis, odoris, præcipue dum teruntur, proprii, haud grati, aromatici, saporis subamari acris.

Radix (Rhizoma) simplex, teres, flexuosa, vix calamum scriptorium crassa, latere inferiori radiculis densis, longis, distantibus et filiformibus obsessa, rugosa, annulata, extus fusca, intus sordide alba, odoris aromatici, nauseosi, saporis acris, amari.

Ne confundatur cum radice Solidaginis Virgæ aureæ, valde simili, sed distincta rhizomate crassiori, griseo-fusco, et radiculis numerosioribus, ut plurimum tenuioribus.

ARTEMISIA, Radix, Herba florens.

Artemisia vulgaris L. (Syngenesia Polygamia superflua L.; fam. Compositæ). Planta perennis herbacea, indigena.

Radix (Rhizoma) subcylindrica, calamum scriptorium ad digitum crassa, fibris ramosis utrinque obsessa, longitudinaliter quodammodo rugosa, extrinsecus fusca, intus alba, odoris proprii haud grate aromatici, subdulcis, mucilaginosi, dein acris.

Folia sunt sessilia, lata, supra viridia, subtus albo-tomentosa, radicalia profunde pinnatifida, laciniis lanceolatis subdentatis, acutis, superiora subintegerrima, lineari-lanceolata. Flores ex racemis axillaribus et spiciformibus emergentes, parvuli, erecti, rubelli vel flaventes, extus tomentosi.

Herba cum summitatibus florentibus colligenda celeriterque siccanda, odoris grate aromatici, saporis paris, simul amariusculi, subacris.

ASA FOETIDA.

Ferulæ Asæ fœtidæ L. (Pentandria Digynia L.; fam. Umbelliferæ), plantæ perennis Persiæ, succus gummo-resinosus e radice sauciata effluens et aëris contactu in grumos tenaces mutatus.

Adfertur in glebis seu granis extus ochroleucis aut roseo-fuscis, intus albidis, plerumque inter se conglutinatis, interdum diaphanis, pinguiter nitentibus, frigore fragilibus, calore manuum facile emolliendis, odoris fœtidissimi, suballiacei, penetrantis, saporis acris, amaricantis. In alcohole ultra dimidia pars solvitur.

Præferenda Asa fœtida in granis seu electa, quamplurimum continens fragmenta amygdaliformia. Pro veterinariis asservandæ sunt massæ fusco-nigrescentes, odoris debilis aut alieni, stipitibus aliisque quisquiliis inquinatæ.

Servetur in loco frigido, intra vasa clausa vel vesicas colligatas.

ASARUM EUROPÆUM, Radix, Folia.

Asarum Europæum L. (Dodecandria Monogynia L.; fam. Aristolochiæ). Planta perennis, indigena.

Radix (Rhizoma) parva, repens, calamum corvinum circiter crassa, quadrigona, geniculata, fibrosa, fibrillis multis obsita, coloris extus cinereo-fusci, intus ex albo flavicantis, odoris gravis, subaromatici ad Valerianam accedentis, saporis ex amaro acris, nauseosi.

Folia petiolata, reniformia, integerrima, supra cum nitore obscure viridia.

ASPARAGUS, Radix, Turiones.

Asparagus officinalis L. (Hexandria Monogynia L.; fam. Asparagineæ). Planta perennis Europæ meridionalis, in Belgio copiose culta.

Radix seu potius caudex subterraneus, crassus, horizontalis, ramosus, inferne fibrillis numerosis, longis, carnosis, calamum scriptorium crassis, obsitus, recens albidus, succulentus, odoris fere nullius, saporis subdulciusculi. Ineunte vere ex radice emergunt turiones edules qui Asparagineam continent, sæpiusque quam radix adhibentur.

AURANTIA. Vide CITRUS AURANTIUM.

AURUM FOLIATUM.

Aurum in lamellas tenuissimas redactum; sit in acido nitrico plane insolubile.

AVENA, Semen.

Avena sativa L. (Triandria Monogynia L.; fam. Gramineæ). Planta annua notissima.

Semina excorticata, odoris farinosi mitis, in loco sicco, aëre libero, servanda.

AXUNGIA.

Adeps suillus.

Nonnisi bene elota adhibeatur. Servetur in vasis porcellaneis, loco frigido. Sit recens nec rancida.

BALSAMUM COPAIVAE.

Balsamum de Copaïba. Oleo-resina Copaïvæ.

Resina liquida, sponte stillans e sauciato cortice *Copaïferæ multijugæ* Mart. aliarumque Copaïferæ specierum (Decandria Monogynia L.; fam. Cæsalpineæ), arborum Indiæ occidentalis, Americæ meridionalis et præsertim Brasiliæ.

Balsamum pellucidum, pallide flavum, olei ricini consistentiæ, odoris pro-

prii, fragrantis, aromatico-balsamici, saporis primum oleosi, dein amariusculi, subacris, ponderis specifici 0,950, in alcohole, æthere et oleis solubile.

Sit genuinum, nec Terebinthina, nec oleo pingui adulteratum. Terebinthina, balsamo ferro candenti instillato, odore proprio sese prodit.

Quum pars una ammonii caustici 22° cum binis partibus et dimidia balsami Copaïvæ in tubo vitreo clauso, temperatura 10° ad 15° C., miscetur, liquidum brevi tempore limpidum evadit, si balsamum purum est; lactescens vero remanet, si cum oleo pingui adulteratur. Gutta balsami puri chartæ scriptoriæ apposita, leni igne celeriter exsiccatur, eo modo ut pelliculam siccam, translucentem, absque annulo oleoso, relinquat.

Balsamum genuinum purum cum sedecima parte magnesiæ ustæ mixtum, post plures dies consistentiam pilularem acquirit; quod non fit si oleo pingui inficitur. Serva in vitris obturatis.

BALSAMUM PERUVIANUM NIGRUM.

Myroxylon peruiferum L.; *Myrospermum peruiferum* Dec. (Decandria Monogynia L.; fam. Papilionaceæ). Arbor Americæ meridionalis imprimis in Peru crescens.

Balsamum rubro-fuscum, oleosum, spissiusculum, ponderosum, in massa opacum, odoris suavis, siliquæ Vanillæ affinis, saporis primum mitis, dein fervidi, acris, subamari, pond. specif. 1,140 — 1,150. In spiritus vini 89° C. sex partibus fere ex toto solvitur, solutione primum turbida, tum calore adhibito limpida, sedimento pauco.

Balsamum peruvianum sæpe adulteratum invenitur cum alcohole, oleis pinguibus aut balsamo Copaïvæ. Prior detegitur imminutione voluminis, quam balsamum agitatione cum aqua in tubo vitreo subit. Olea pinguia, oleo ricini excepto, solutione balsami in alcohole 28° innotescunt. Genuinum cum acido sulphurico placide coït, sed cum balsamo Copaïvæ adulteratum, valde intumescit, vaporesque sulphureos emittit.

Balsamum sit clarum, aqua ponderosius, odoris fragrantis ab odore balsami Copaïvæ alieni, destillatione cum aqua oleum æthereum non edens.

BALSAMUM TOLUTANUM.

Balsamum de Tolu.

Myroxylum toluiferum Rich. (Decandria Monogynia L.; fam. Papilionaceæ), arbor Americæ meridionalis.

Resina plus minusve sicca, translucens, dentibus inter masticandum adhærens, coloris ex flavo fusci, odoris suavis balsamico-benzoïni, subcitrini, saporis mitis, aromatici. In alcoholis partibus sex solvitur.

BARDANA, Radix.

Arctium Lappa L. (Syngenesia Polygamia æqualis L.; fam. Compositæ). Planta biennis ubique obvia.

Radix, e plantis biennibus nondum caulescentibus colligenda, cylindrico-fusiformis, simplex vel subramosa, superne digitum et ultra crassa, sub cortice nigricante carnem albam cum medulla centrali spongiosa, complectens. Recens odorem spirat gravem, subnarcoticum; siccata inodora est cum sapore dulciusculo, mucilaginoso, subamaro. Rejicienda annosior, lignosa, mucida.

BASILICUM, Herba florens.

Ocymum basilicum L. (Didynamia Gymnospermia L.; fam. Labiatæ). Planta annua Indiæ orientalis, nobis hortensis.

Planta caule erecto, subtetragono, pubescente, ramoso; foliis petiolatis, ovato-lanceolatis, subserratis, glabris, subtus punctatis; floribus racemoso-verticillatis, subpedunculatis, corollis albidis aut rubellis. Tota planta odoris fragrantissimi, suaveolentis.

BELLADONNA, Radix, Folia.

Atropa Belladonna L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Solaneæ). Planta perennis, indigena.

Radix crassa, plus minusve ramosa, leviter annulata, extus e flavo fusca aut grisea, intus albida, succulento-carnosa, odoris ingrati, narcotici, saporis cum acredine exigua subdulcis et paululum adstringentis.

Radix stirpium adultarum sub æstatis finem effodienda, celeriter cauteque siccanda et in vasis clausis, loco sicco, servanda.

Folia magna, ovato-lanceolata, in petiolum attenuata, integerrima, superne saturatius viridia, glabra, subtus pilis brevissimis præcipue ad nervos prædita, saporis fatui, nauseosi, amariusculi. Sumantur e planta sponte nascente et propediem florifera, nec ultra annum serventur.

BENZOE.

Gummi s. *Resina Benzoin.*

Styracis Benzoin Driand.; *Lithocarpi Benzoin* Blum. (Decandria Monogynia L.; fam. Styraceæ), arboris regni Siamensis et Archipelagi Indiarum orientalium, resina sponte vel ex trunco vulnerato exsudans, aëreque indurata.

Adfertur in placentis seu glebis magnitudine variis, extus sæpe foliorum arundineorum vestigiis impressis. Substantia est luteo-fusca, opaca, fria-

bilis, fracturæ resinosæ, frustulis subrotundis, albidis, diaphanis plus minus intermixta, odoris suavis, proprii, saporis primum subdulcis, dein balsamico-acris, pungentis. Quo plura continet frusta pellucida et alba, eo melior Benzoe, quæ Amygdaloides tunc dicitur. In tribus spiritus vini rectificati partibus fere ex toto, in æthere sulphurico pro maxima parte solvitur.

BETONICA, Herba.

Betonica officinalis L. (Didynamia Gymnospermia L.; fam. Labiatæ). Planta indigena in nemoribus obvia.

Herba foliis oppositis, inferioribus longe petiolatis, oblongo-cordatis, obtusis, crenatis, superioribus fere sessilibus, odoris debilis nauseosi, saporis ingrati, amari. Flores caulem terminantes, verticillati, parvi, purpurei.

BISMUTHUM.

Metallum fragile, ex albo rubicundum, splendens, texturæ lamellosæ, leni igne liquescens, in acido nitrico solubile, ponderis specifici 9,822. Pro usu interno depurandum est.

BISTORTA, Radix.

Polygonum bistorta L. (Octandria Trigynia L.; fam. Polygoneæ). Planta perennis in pratis humidis præsertim montosis, crescens.

Radix cylindrica, subcompressa, inflexa, pollicaris, undique fibris filiformibus obsita, extus nigro-fusca, annulata, intus rubra, carnosa, odoris fere nullius, saporis peradstringentis.

BOLUS ARMENA.

Terra argilacea olim ex Oriente advecta, nunc in Gallia, Germania, etc., reperta.

Frusta amorpha, pallide fusco-rubra, tactu pinguia, depingentia, lævia, linguæ adhærentia, fracturæ terreæ plus minusve conchoïdeæ, odoris argillacei, saporis parum constringentis. Aquæ immersa cum strepitu dissiliant et cum acidis non effervescant.

Depuretur encheiresi in parte secunda Codicis dicta.

BORAS SODÆ.

BORAS NATRICUS.

Borax. Natrum boricum.

Borax in frustis prostat crystallinis, nitentibus, decoloribus, subdiaphanis,

duris, in aëre parum fatiscentibus, saporis primum mitis dulciusculi, dein alcalino-amari. In duodecim partibus aquæ frigidæ, et in duabus aquæ bullientis plane solvitur. Curcumam rubro-fuscam tingit. In alcohole sit insolubilis; acidis non effervescat, ejusque solutio aquosa, addita solutione carbonatis potassæ, non turbetur. Serva in vitris epistomiis vitreis clausis.

BORRAGO, Folia, Flores.

Borrago officinalis L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Borragineæ). Planta annua orientalis, nunc in Europa vulgatissima.

Herba foliis magnis, radicalibus longe petiolatis, patentibus, ovatis, obtusis, ciliatis, utrinque hispidis, caulinaribus sessilibus, subdecurrentibus, ovato-lanceolatis. Odoris sunt fere nullius, saporis herbacei.

Flores, caulem ramosque terminantes, in racemos unilaterales, bipartitos congesti, corolla cœrulea, rotata, quinque partita. Recentes odoris sunt debilis mellacei, et saporis vix ullius.

Cave ne substituantur flores Echii vulgaris, tubuloso-campanulati, ore obliquo.

BROMUM s. BROMIUM.

Liquidum maxime volatile, coloris e fusco obscure rubri, odoris fortis, ingrati, ad odorem chloricum accedentis, saporis acris, caustici. Temperatura ordinaria, vapores rutilantes emittit et calore 63° C. ebullit.

In aqua parum solvitur, copiosius in alcohole, optime in æthere. Pondus spec. 2,97.

Servetur in lagenis quam arctissime clausis.

BRYONIA, Radix.

Bryonia alba L.; *Bryonia dioïca* Jacq. (Monœcia Monadelphia L.; fam. Cucurbitaceæ). Planta perennis, indigena, in sepibus et locis umbrosis frequens.

Radix fusiformis, prægrandis, sæpe bifida, carnosa, rugoso-annulata, externe griseo-flava, interne alba, recens succo lacteo scatens, odoris herbacei nauseosi, saporis acris, amari. In taleolas dissecta filis appendendas siccetur.

BUTYRUM.

Sit odoris expers, saporis blande grati, a sero liberum, nec sale conditum. In æthere plane solvatur.

CACAO, Semen.

Theobroma cacao L. (Polyadelphia Decandria L.; fam. Buttneriaceæ). Arbor Americæ meridionalis.

Semina ovato-oblonga, utrinque obtusa, compressa, dura, fere amygdalarum magnitudine, sub cortice chartaceo, rugoso, fragili, nucleum fuscum, pingue-nitentem, friabilem, oleosum includentia, odoris vix ullius, saporis proprii grati, amariusculi.

CAINCA s. CAHINCA, Radix.

Chiococca scandens Riedel.; *Chiococca anguifuga* Mart. (Pentandria Monogynia L.; fam. Rubiaceæ), frutex Antillarum et Americæ meridionalis.

Radix cylindrica, ramosa, 5 ad 12 centim. longa, ramis plus minusve tortis, pennam anserinam usque ad digitum minorem crassis, griseo-fusca, rugosa, annulato-nodosa, intus albida vel subflavescens, lignosa, tenax, odoris debilis ingrati, saporis aromatici, amariusculi, subacerbi. Pars centralis fere insipida et inodora est.

Ne confundatur cum radice Caincæ falsæ, cujus lignum colore luteo tingitur.

CAJEPUT, Oleum.

Melaleuca leucadendron L.; *Melaleuca cajeput* Roxb. (Polyadelphia Icosandria L.; fam. Myrtaceæ). Arbuscula Indiarum orientalium, imprimis insularum Moluccarum.

Oleum æthereum e foliis et cortice destillatum, tenue, pallide viride vel flavescens, pellucidum, odoris fragrantis camphoracei, saporis similis, subamari. Pond. specif. 0,92—0,94.

Hoc oleum sæpius cupri vestigia continet, quod detegitur ope liquoris ferro-cyanureti potassii, qui colorem producit fusco-rubrum, oleo antea cum acido nitrico diluto commixto. Oleum sic adulteratum non nisi ad oleum rectificatum inde parandum, adhibeatur.

Rejiciendum est oleum quod alcohole non perfecte solvitur aut destillatione Camphoram relinquit.

CALAMUS AROMATICUS, Radix.

Acorus calamus L. (Hexandria Monogynia L.; fam. Aroïdeæ). Planta perennis indigena, palustris.

Radix (Rhizoma) cylindrica, 2 centim. circiter crassa, subcompressa, geniculata, cicatricibus numerosis ex resectis radiculis notata, extus pallide

fusca, intus spongiosa, ex albo rufescens, odoris fragrantis grati, saporis aromatici, acris, amariusculi. Siccetur non decorticata.

CALX VENALIS.

Calx viva s. usta.

E lapidibus calcariis forti ustione paratur. Sit alba, solida, friabilis; ab aqua affusa valde incalescat et intumescat, ac in pulverem subtilissimum dilabatur. Serva in loco sicco, cistis bene clausis.

CAMPHORA.

$C^{20} H^{16} O^{2}$

Laurus camphora L.; *Cinnamomum camphora* Nees ab Esemb. (Enneandria Monogynia L.; fam. Laurineæ). Arbor Indiæ orientalis præsertim in Japonia frequens; ex cujus ramis et foliis dissectis, destillatione cum aqua, obtinetur Camphora cruda dicta, quæ in Europa sublimatione depuratur.

Camphora depurata est alba, nitida, luci quidquam pervia, fragilis, ad attactum subpinguis, compagis subcrystallinæ, odoris proprii, fragrantis, saporis acris, aromatici, amaricantis, cum sensu primo ustionis, postea refrigerationis insignis. Aëri libero exposita sensim avolat; accensa absque residuo deflagrat; in aqua parum, sed in spiritu vini nec non in ætheribus et in oleis, tum unguinosis, tum æthereis, plane solvitur. Pond. specif. 0,98.

Camphora Borneoensis seu Sumatrensis ($C^{20} H^{18} O^{2}$), quam Dryobalanops camphora Col. producit, a priori specie paulum diversa, vix adhibetur.

CAMPECHIANUM s. CAMPECHENSE LIGNUM.

Hæmatoxylon campechianum L. (Decandria Monogynia L.; fam. Cæsalpineæ). Arbor Indiæ occidentalis et Americæ australis.

Lignum tinctorium durum, ponderosum, e fusco rubrum cum nitore viridescenti, texturæ fibrosæ, saporis subdulcis, subadstringentis, inter rodendum odorem Iridis florentinæ referens. Prostat in segmentis ut plurimum cortice et alburno destitutis.

CANCRORUM LAPIDES.

Oculi cancrorum.

Concrementa e ventriculo *Cancri astaci* L. s. *Astaci fluviatilis* Fabric.

Calculi rotundi, albi, parvuli, glabri, hinc convexi, illinc cum margine elevato subconcavi, texturæ lamellosæ.

Præter parvam gelatinæ quantitatem, maxima ex parte carbonate calcis, in acido acetico vel chlorhydrico diluto solubili, constituuntur. Rejiciantur artificiales ex terra calcaria et Tragacantha parati, in acido prædicto sine residuo gelatinæ solubiles.

CANNABIS, Semen.

Cannabis sativa L. (Diœcia Pentandria L.; fam. Urticeæ), planta annua in Belgio culta.

Semina notissima.

Cannabis sativa, varietas Indica, resinam præbet Cannabinam dictam, alcohole et æthere solubilem.

CANTHARIDES.

Meloe vesicatorius L.; *Litta vesicatoria* Fabric., insectum Coleopterum Europæ meridionalis et mediæ.

Insecta oblonga, 18 ad 25 millim. longa, coloris aureo-viridis, splendidi, in cœruleum tendentis, antennis nigris, filiformibus instructa, odoris virosi fere picei, principio acri, vesicante prædita. Eligantur recentia, graveolentia, apte siccata. Cave ne sint oleo illita. Serventur in vitris bene clausis.

CAPILLUS VENERIS, Herba.

Adiantum Capillus Veneris L. (Cryptogamia L.; fam. Filicaceæ). Filix Europæ et Americæ meridionalis.

Herba, frondibus in stipite lævi, nigrescente bipinnatis, pinnulis cuneatis apice rotundatis, lobatis, odoris fere nullius, saporis subadstringentis, amariusculi.

Ne confundatur cum Adianto pedato, nec cum Asplenio Adianto nigro.

CARAGAHEEN s. CARRAGAHEEN. CARRAGEEN.

Lichen Caragaheen. Fucus s. *Muscus Caragaheen.*

Fucus crispus L.; *Chondrus crispus* Lyngb. (Cryptogamia L.; fam. Algæ). Alga maritima ad littora Sueciæ, Daniæ, etc., frequens.

Siccatus adfertur in segmentis polymorphis, digitum et ultra longis, dichotome laciniatis, cartilagineis, subdiaphanis, ochroleucis, subfuscis vel ex flavo badiis, odoris debilis, marini, saporis subsalsi, mucilaginosi. Mucilaginem Bassorinæ similem et Iodi vestigia continet.

CARBO ANIMALIS.

Combustione ossium mammalium, in vasis destillatoriis obtinetur.

Characteres notissimi. Rejiciantur carbones alcalini aut qui gas hydrosulphuratum, affuso acido diluto, emittunt.

CARBO LIGNI.

Eligantur carbones in frustis magnis, solidis, fragilibus, levibus, quodammodo sonoris, figuram ligni retinentibus, nitidis, urendo nullum fœtorem spargentibus.

CARBONAS AMMONIÆ VENALIS.

Ammonium carbonicum. Subcarbonas ammoniæ. Alcali volatile concretum.

Sal in officinis chemicis paratus, albus, plerumque amorphus, saporis alcalini, fauces naresque irritans, in igne plane avolans, in aquæ duabus partibus solubilis. Pro inquinationibus et depuratione vide secundam Codicis partem. — Servetur in vasis clausis.

CARBONAS MAGNESIÆ.

CARBONAS MAGNESICUS CUM AQUA.

Subcarbonas magnesiæ. Magnesia hydrico-carbonica. Magnesia alba.

Pulvis albus, subtilissimus, levis, odore ac sapore carens, aqua haud solubilis. Igne decomponitur, aquam acidumque carbonicum emittens et magnesiam puram relinquens. Acido sulphurico diluto inter effervescendum plane solvitur; quæ solutio ope ammonii oxalici non præcipitatur, sed ammonia caustica excedente commixta, sedimentum album exhibet, ammonio carbonico, at non potassa caustica solubile.

Constat ex carbonate magnesiæ, magnesia hydrica et aqua. $3\,(MgO, CO^2 + HO) + MgO, HO$.

CARBONAS PLUMBI VENALIS.

Subcarbonas plumbi. Cerussa.

Sal ex carbonate et oxydo plumbico constans. Prostat in massis coloris albissimi, ponderosis, amorphis aut lamellatis, vel arte in tabulas aut in conos formatis, facile in pulverem terendis.

Acido nitrico sit perfecte solubile; solutio, post præcipitationem plumbi ope liquoris ammonii caustici, affusa oxalatis potassæ solutione, non turbetur.

CARBONAS POTASSÆ VENALIS.

Subcarbonas potassæ. Kali carbonicum crudum. Potassa cruda. Cineres clavellati.

Eligatur in globulis minoribus vel in massis fragilibus, cavernulosis,

coloris albidi aut e griseo cœrulescentis, facile in aëre libero deliquescentibus, saporis lixiviosi. Nonnisi exploratione alcalimetrica vis ejus dignosci potest. Contineat minimum 70 p. C. carbonatis potassæ puri.

Rejiciatur potassa, acido sulphurico diluto affuso, gas hydro-sulphuratum emittens, et ea quæ carbonate sodæ adulterata est.

CARBONAS SODÆ VENALIS.

Soda. Sal sodæ crudus. Alkali minerale.

In massis prostat irregulariter crystallinis, pellucidis, aëre fatiscentibus, reactionis et saporis alcalini. Igne liquatur aquam emittens. Solvitur in binis partibus aquæ frigidæ. Rejiciatur qui metallis inquinatus est, aut qui, affuso acido sulphurico diluto, gas acidum hydro-sulphuratum vel sulphurosum emittit.

CARDAMOMUM MINUS, Semen.

Alpinia cardamomum Roxb.; *Elettaria cardamomum* Maton. (Monandria Monogynia L.; fam. Amomeæ). Planta perennis Indiæ orientalis.

Fructus est capsula triquetra, 8 ad 12 millim. longa, membranacea, striata, pallide lutea, semina fovens parva, rugosa, angulosa, fere tetragona, utrinque truncata, extus rufescentia aut nigrescentia, intus alba, odoris grati aromatici, saporis fragrantis, calidi, subcamphoracei. Rejiciantur capsulæ pro usu.

CARDUUS BENEDICTUS, Herba.

Centaurea benedicta L. (Polygamia Frustranea L.; fam. Compositæ). Planta annua Europæ meridionalis, apud nos in hortis culta.

Herba foliis alternis, semi-decurrentibus, oblongis, margine sinuatis, denticulato-spinosis, hirsutis. Capituli solitarii, terminales, lutei et flosculosi. Planta recens odorem spirat ingratum, siccando evanescentem; saporis est amari, subsalsi.

Sit herba siccata viridis absque stipitibus, florumque capitulis.

CARICÆ.

Ficus Carica L. (Monœcia Triandria L.; fam. Urticeæ), arbor Europæ meridionalis et Orientis.

Fructus siccati notissimi. Eligantur caricæ pingues, dulcissimæ, ponderosæ; rejiciantur nigræ, duræ, aut ab insectis erosæ.

CARVI, Semen.

Carum Carvi L. (Pentandria Digynia L.; fam. Umbelliferæ). Planta biennis Europæ præsertim meridionalis, in Belgio rarissima.

Semina parva, ovato-oblonga, striata, quinque costata, subincurva, obscure fusca, glabra, odoris fragrantis, saporis aromatici, acris, calidiusculi, amari.

CARYOPHYLLATA, Radix.

Geum urbanum L. (Icosandria Polygynia L.; fam. Rosaceæ). Planta perennis Europæ, in locis incultis et ad sepes frequens.

Radix (Rhizoma) e capitulo brevi coniformi, digitum circiter crasso, extus subfusco, imprimis ex apice, radiculos numerosos, tenues, longos, emittens. Intus est coloris ex albo rubelli, odoris aromatici ad Caryophyllum accedentis, saporis similis amari et adstringentis.

CARYOPHYLLI AROMATICI, Flores.

Caryophyllus aromaticus L.; *Eugenia caryophyllata* Thunb. (Icosandria Monogynia L.; fam. Myrtaceæ). Arbor Indiæ orientalis, in insulis Moluccis frequens.

Flores inexplicati siccati, claviculis minoribus non absimiles, obscure rubro-fusci, odoris proprii grati, fragrantis, saporis aromatici, calidi, acris, amaricantis. Seligantur grandes, egregie rufi, ponderosi, fragiles, triti odoratissimi et oleum exsudantes. Serva in vasis clausis

Caryophylli ad maturitatem usque in arbore relicti, Anthophylli dicuntur.

CASCARILLA, Cortex.

Croton cascarilla L.; *Croton Eluteria* Sw. (Monœcia Monadelphia L.; fam. Euphorbiaceæ). Frutex Americæ meridionalis, in Peru, Jamaïca, etc., frequens.

Cortex ramorum in segmentis occurrens convolutis, 4 ad 6 centim. longis, 2 millim. circiter crassis, compactis, duris, ponderosis, hinc inde nodosis, epidermide cinerea rugosa haud raro lichenibus variis maculata, vestitis, extus e fusco ferrugineis, fracturæ resinosæ, saporis amari, aromatici, acris, odoris debilis, sub contusione aut accensione fragrantioris, aromatici, submoschati.

CASSIA FISTULA, Fructus.

Cassia fistula L. (Dodecandria Monogynia L.; fam. Leguminosæ). Arbor in utraque India et Arabia crescens.

Capsulæ leguminosæ duræ, cylindricæ, rectæ, 2 ad 3 centim. crassæ, 30 centim. et ultra longæ, nigricantes, inter diaphragmata papyracea pulpam mollem, nigram, grate dulcem, et semina subrotunda, compressa, nitida, fulva, complectentes.

CASTOREUM.

Castor fiber L., animal e Mammalium classe, in America septentrionali nec non in Europa et Asia meridionali, præsertim ad ripas fluminum et lacuum, habitans.

In folliculis compressis, glabris, prope genitalia Castorei sitis, ovi gallinacei magnitudinem æquantibus, intertextum membranulis tenuioribus, venale Castoreum prostat.

Castoreum Siberinum, omnibus aliis speciebus anteferendum, sed in commercio rarissimum, ponderosum, in magnis folliculis turgescentibus inclusum, membranulis tenuibus intertextum, friabile, non autem totum exsuccum, e luteo fuscum, odoris proprii fortissimi, nauseosi, saporis amaricantis, subacris.

Castoreum Canadense seu Americanum, Anglicum dictum, folliculis contentum minoribus, magis oblongis, corrugatis, externe rugosis, involucro tenuiore vestitis, magis nigris, massam sistit duriorem, fractura nitentem et odoris debilioris.

Rejiciatur Castoreum artefactum, quem distinguunt color niger, odor debilis et textus cellulosi absentia.

Servetur in vasis probe clausis.

CATECHU.

Terra Japonica.

Acaciæ catechu Willd.; *Mimosæ catechu* Roxb. (Monadelphia Polyandria L.; fam. Leguminosæ), aliarumque specierum Acaciæ, arborum Indiæ orientalis, extractum e fructibus et lignis paratum.

In frustis adfertur solidis, compactis, tum cubicis, tum irregularibus et variæ formæ, ponderosis, fragilibus, fracturæ nitidæ lamellosæ, extus e rubro nigris, intus fuscis vel rufis, striis pallidioribus intermixtis, linguæ minime adhærentibus, inodoris, saporis adstringentis, primo subdulcis, dein amaricantis.

Catechu in spiritu vini diluto et in aqua penitus vel pro maxima parte solvitur. Solutio ejus aquosa cum chlorureto ferrico præcipitatum viride, non autem cœruleo-nigrum, edat.

CENTAURIUM MINUS, Herba florens.

Erythræa centaurium Rich.; *Chironia centaurium* Willd. (Pentandria

Monogynia L.; fam. Gentianeæ). Planta annua indigena, in locis siccis, ad sepes, etc., crescens.

Folia in caule angulato, superne ramoso, opposita; inferiora ovalia, obtusa; superiora oblongo-acuminata, integerrima, glabra, læte viridia; flores amœne rubelli, terminales, in cymos fasciculatos dispositi. Planta tota inodora, amarissima.

CERA.

Ab *Apibus Mellificis* L. ad favos construendos elaboratur.

Cera flava seu citrina e favis eliquatur. Sit sature flava, solida, tenax, fracturæ granulosæ, odoris proprii submellei; masticata dentibus non adhæreat.

Cera alba e cera flava per insolationem sub frequente aquæ adspersione parata, in tenuissimis laminis diaphana, odoris et saporis haud ingrati, cerâ flavâ durior atque gravior, calore 63°—65° C. liquescens, et liquata liquorem limpidum exhibens.

Sebum ceræ albæ additum, odore, majori mollitie et caloris liquefacientis gradu minuto, detegitur. Si cum acido Stearico adulterata sit cera, in aqua calcis limpida et fervida præcipitatum edit Stearatis calcici.

CEREFOLIUM, Herba.

Scandix cerefolium L.; *Chærophyllum sativum* Bauh. (Pentandria Digynia L.; fam. Umbelliferæ). Planta annua in Europa meridionali sponte nascens, apud nos in hortis culta.

Herba caule ramoso, glabro, striato, foliis teneribus, læte viridibus, radicalibus et inferioribus caulinis longe petiolatis, tripinnatis, subtus ad nervos pilosiusculis, foliolis ovatis, incisis, dentatis, laciniis angustis. Odor plantæ recentis gratus, fœniculaceus, sed debilis, nisi inter digitos fricetur; sapor subdulcis, aromaticus.

CETACEUM.

Album Ceti. Sperma Ceti.

E *Physeterum* et præsertim *Ph. Macrocephali* L. (Cl. Mammalia; fam. Ceti) occipitis cavis, obtinetur.

Substantia est sebacea, duriuscula, alba, subpellucida, nitoris pinguis sericei, texturæ crystallino-lamellosæ, tactu mitis nec unguinosa, friabilis, saporis blandi, viscosi, ponderis specifici 0,943, calore circiter 44° C. liquescens.

CHAMÆDRIS, Herba florens.

Teucrium chamædris, L. (Didynamia Gymnospermia, L.; fam. Labiatæ). Planta perennis, indigena, in collibus siccis colligenda.

Folia in caule quadrangulo, decumbente, pubescente, ramoso, parva, ovato-oblonga, obtusa, crenata, breviter petiolata, superne obscure viridia, nitentia, inferne pallidiora, subpubescentia, odoris subfragrantis, saporis amari, adstringentis. Flores sunt axillares, purpurascentes.

CHAMOMILLA ROMANA, Flores.

Anthemis nobilis L. (Syngenesia Polygamia superflua L.; fam. Compositæ). Planta annua Europæ meridionalis, in Belgio culta.

Flores pedunculati, compositi, radiati, receptaculo conico, paleaceo, flosculis disci flavis, tubulosis, radii albis, numerosis, brevibus, odoris aromatici fortis, saporis aromatici et amaricantis.

CHAMOMILLA VULGARIS, Flores.

Matricaria chamomilla L. (Syngenesia Polygamia superflua L.; fam. Compositæ). Planta annua in Belgio frequens.

Flores terminales in pedunculis striatis, nudis, unifloris, subpaniculati, radiati, calyce communi arcte imbricato, receptaculo conico nudo; flosculis disci flavis, radii albis, reflexis, odoris proprii gravis, saporis amari, aromatici. Colligantur nuper evoluti.

Ne confundantur cum floribus Anthemidis arvensis et Anthemidis cotulæ, quorum receptaculum paleaceum est.

CHELIDONIUM MAJUS, Radix, Herba.

Chelidonium majus L. (Polyandria Monogynia L.; fam. Papaveraceæ). Planta perennis, indigena, in locis ruderatis et ad sepes frequens.

Radix cylindrica, 2 centim. et ultra crassa, ramosa, recens ex rufo-fusca, intus luteo-albida, saporis peracris, amari. Siccata est nigra, saporis debilioris.

Herba subflorida, foliis alternis, petiolatis, pinnatifidis, lobis obtusis, crenato-incisis, supra glabris, subtus pubescentibus, e flavo viridibus; floribus flavis, petiolatis, subumbellatis. Tota planta recens odoris gravis; succo croceo lactescente ex amaro acri turget.

CHENOPODIUM, Herba.

Chenopodium ambrosioides L. (Pentandria Digynia L.; fam. Chenopodiceæ). Planta annua Mexicana in hortis nostris culta.

Folia in caule erecto alterna, subsessilia, lanceolata, dentata, glabra; flores in racemis axillaribus terminalibusque parvi, globosi, virides. Tota planta odoris est fragrantis, proprii, saporis camphorato-aromatici, amariusculi.

CHINA FUSCA.

Cortex Peruvianus fuscus s. *griseus.*

Cinchona glandulifera R. et Pav.; *Cinchona Condaminea* Humb. et Bonpl. (Pentandria Monogynia L.; fam. Rubiaceæ). Arbor Americæ meridionalis, præsertim regionis Loxæ in provincia Quito.

Cortex Chinæ fuscæ genuinæ et bonæ notæ, in frustis adfertur tubulosis, plus minusve convolutis, minimum digitum circiter crassis, 6 ad 9 centim. longis, duris, siccis, ponderosis, strato exteriori scabro cum sulcis longitudinalibus haud profundis et rimis transversis plurimis, epidermide fusco-grisea, lichenibus albis vel cinereis hinc inde maculata.

Seligantur cortices Chinæ Huanuco aut Chinæ Loxa, præcipue frusta tenuiora, convoluta, extus fusca, longitudinaliter rugosa, interne coloris cinnamomei obscurioris, ponderosa, dura, diffracta nec laxe fibrosa nec pulverulenta, et annulo nigricante resinoso versus epidermidem notata. Chinæ fuscæ odor est aromaticus, submucidus, proprius, sapor ex amaro austerus.

Rejiciantur cortices rimis transversis non notati, extus nigri vel rutilantes, interne albidi vel cinerei, valde adstringentes, nauseosi aut insipidi.

Viliores species sunt cortex Chinæ Jaen, epidermide lævi, pallide cinereo, et cortex de Cusco, Aricinam continentes.

CHINA REGIA.

Cortex Peruvianus flavus s. *regius. China Calisaya.*

Cinchona angustifolia? Ruiz; *Cinchona lancifolia?* Mutis. (Pentandria Monogynia L.; fam. Rubiaceæ). Arbor in montibus sylvosis Americæ meridionalis crescens.

Cortex hic prostat in frustis planiusculis aut convexis, 4 ad 9 millim. crassis, epidermide sua luteo-fusca, valde rugosa et lichenibus obsita ut plurimum destitutis, extus e flavo fuscis, rimis transversalibus frequentibus notatis, intus coloris cinnamomei rutili, saporis intensius amari sed minus austeri. Diffracta stratum externum tenue, coloris castanei, et internum crassius, coloris cinnamomeo-rubelli, exhibent.

Infusum aquosum fortius Chinæ regiæ filtratum, addito sulphate sodæ, turbidum fit præcipitato sulphate calcis, quod non evenit cum infuso Chinæ griseæ.

Ne commutetur China regia cum cortice Portlandiæ hexandræ? Linn. fil., quem Chinam flavam fibrosam dicunt seu de Carthagena; hic dignoscitur defectu rimarum, corticis strato externo tenuiore, sæpe deficiente, strato interno toto, nec intima tantum parte, flavescente, sapore vix amara.

China regia integra fraudulenter per macerationem in aqua acidula Chinino suo partim privata et cortice bonæ notæ pulverato intermixta, facile distinguenda, si fricando cum panno a pulvere privetur, colore obscure bruneo, sapore minus amaro, subsalso, decocto debiliore, quod refrigescens parum lactescit et filtratum minus aut vix præcipitatur solutione alcalina et tinctura gallarum.

CHINA RUBRA.

Cortex peruvianus ruber.

Cinchona oblongifolia Mutis. *Cinchona magnifolia et Cinchona colorata* R. et Pav. (Pentandria Monogynia L.; fam. Rubiaceæ). Arbor Americæ meridionalis.

Cortex antecedenti simillimus, nec nisi colore rubro strati interioris diversus. Ejus frusta sunt crassiora, majora, ponderosiora, minus convoluta; diffracta fibrosa adparent, et manifeste tria strata sistunt, quorum externum (epidermis) tenue, fissum, rugosum, ex rubro fuscum, vel e lichenibus, quibus obducitur, griseum; alterum (sive cortex proprius) fragile et resinosum, coloris obscure rubri; tertium lignosum, fibrosum, coloris rubicundi. Pulveratus sit saturate rubro-bruneus, odoris mucidi subaromatici. Ejus decoctum saturate rubrum et limpidum refrigerando fit cum rubore aurantio turbidum.

Cavendum est ab admixtis frustis artifice rubore tinctis. Hæc colore lætiore, ruboris defectu in fractura, ac indole infusi aquosi variante, dignoscuntur.

China rubra tam externe quam interne rubido-fusca, in segmentis crassioribus occurrens, ponderosa, sapore valde amaro, adstringente, haud ingrato, optima est.

CHINOIDINUM s. QUINOIDINA.

In officinis chemicis ex residuis præparationis sulphatis chinici obtinetur.

Constat ex substantia resinosa quæ sulphatem Chinii et Cinchonii retinet et cui inest, acido sulphurico conjunctum, alcaloïdeum Chinio simile, quod Chinoïdinum dicitur.

Massam refert siccam, nitentem, coloris fusci, saporis peramari, in aqua paulum, in alcohole, in æthere, et in acidis plane solubilem.

Ne sit cupro, plumbo, colophonio, etc., inquinatum. In acidis dilutis

solutum cum ammonia excedente præcipitatum edat, quod siccatum massam solutam pondere adæquet.

CHLORHYDRAS AMMONIÆ.

CHLORURETUM AMMONICUM.

Hydrochloras ammoniæ. Murias ammoniæ. Sal ammoniacus.

In placentis prostat concavo-convexis, albis, subdiaphanis, texturæ fibroso-radiatæ, saporis ingrati salini, urinosi, caloris ope omnino avolantibus, et in aëre non deliquescentibus.

Non nisi depuratus in usum pharmaceuticum adhibeatur.

CHLORURETUM SODII.

CHLORURETUM NATRICUM.

Murias Sodæ. Sal commune s. *culinare.*

Characteres hujus salis notissimi.

Aëri expositum non humectatur nisi vestigia chlorureti calcii vel magnesiæ contineat. Quandoque ab iodureto potassæ inficitur; quod dignoscendum si in aqua cum amylo cocta solvatur, solutioque ista, affusa parva aquæ chlori quantitate, colorem cœruleum induit.

CICHOREUM, Radix, Folia.

Cichorium intybus L. (Syngenesia Polygamia æqualis L.; fam. Compositæ). Planta perennis, indigena, ad vias et in pratis siccis crescens.

Radix ramosa, circiter 3 centim. crassa et 30 centim. longa, subramosa, fibrosa, extus subfusca, intus albida, carnosa, in recenti lactescens, odoris nullius, saporis valde amari, secundo anno colligenda, eo imprimis tempore quo succo lacteo abundat.

Folia inferiora runcinata, ad carinam hispido-scabra, superiora oblonga, subintegra, sapore peramaro.

CICUTA, Herba.

Conium maculatum L. (Pentandria Digynia L.; fam. Umbelliferæ). Planta indigena, biennis, in ruderatis, ad sepes et ad vias crescens.

Herba omnino glabra, foliis patentibus, tripinnatis, foliolis ovato-oblongis, acutis, pinnatifidis, lobis inciso-serratis, superne saturate viridibus, subtus pallidioribus, utrinque glabris, odoris peculiaris, grave fœtidi, siccatione aucti, saporis acriusculi, nauseosi.

Siccata folia sint viridia minime pallida, nigrescentia vel mucida, stipitibus petiolisque crassioribus libera. Potassâ solutâ madefacta, odorem Conini spargunt.

Ne confundantur cum foliis Chærophylli sylvestris, Chær. temuli, aut Chær. bulbosi, quæ plus minusve pilosa vel hirsuta sunt, nec odore gaudent gravi Conii maculati.

Folia ante anthesin e plantis bimulis colligenda, et cautissime, nec ultra annum, servanda.

CINA s. SANTONICUM, Semen.

Semen Contra. Semen sanctum. Summitates Zedoariæ.

Artemisia contra L. (Syngenesia Polygamia superflua L.; fam. Compositæ). Frutex orientalis, in Persia, Syria et Palestina frequens.

Corpuscula (summitates vel flosculi) parva, oblonga, e flavo viridia, glabra, cauliculorum tenuium florumque et foliorum particulis intermixta, odoris penetrantis, quodammodo nauseosi, Zedoariæ radicis non dissimilis, saporis nauseosi, amari, subacris. Serva in vasis probe clausis.

Ramulorum fragmenta removenda sunt, nec admittendum semen Cinæ Barbaricum seu Africanum, flosculis minimis subglobosis, tomentosis, dignoscendum.

CINNAMOMUM, Cortex.

Cinnamomum acutum. Cinnamomum Ceylonense.

Laurus Cinnamomum L.; *Cinnamomum Ceylanicum* Blume. (Enneandria Monogynia L.; fam. Laurineæ). Arbor Indiæ orientalis præsertim insulæ Ceylonis.

Cortex vel liber ramis triennibus detractus, ab exteriori cuticula grisea liberatus, tenuissimus, charta scriptoria vix crassior, nonnihil flexilis, e fibris densis contextus fractura conspicuis, colore aureo pallide fucescente, odore fragrantissimo, sapore primum subdulci, dein valde aromatico, calido. In tubulos adfertur convolutus, quorum minores majoribus semper inserti sunt, ita ut frusta quasi papyracea pluries convoluta refert.

Cinnamomum Ceylanicum semper dispensandum nisi a medico expressis verbis postulatur cortex Cinnamomi Sinensis seu Lauri Cassiæ, qui Cinnamomi Chinensis nomine venali prostat, e Lauri Cinnamomi cortice facile distinguendus superficie minus glabra, crassitie majori, fractura fibras vix largiente, et sapore acriore.

CINNAMOMUM SINENSE, Cortex.

Cassia cinnamomea. Cinnamomum indicum.

Cinnamomum aromaticum Nees; *Laurus Cassia* Ait. (Enneandria Monogynia L.; fam. Laurineæ). Arbor Indiæ orientalis.

Cortex internus ramorum, præcedenti proxime accedens, sed colore

magis fusco, crassitie majori, odore minus grato debiliorique, ac sapore acriore distinguendus. In frustis prostat tubulosis, duris, coloris rubro-badii, simpliciter vel dupliciter tantum convolutis, et 20—50 centim. circiter longis.

CITRUS, Fructus, Oleum.

Citrus medica L. (Polyadelphia Icosandria L.; fam. Aurantiaceæ). Arbor Indiæ orientalis indigena, in Europa australi culta.

Fructus notissimi.

Corticis fructus exsiccati in segmentis adferuntur oblongis, ovato-acuminatis, extus flavis, saporis subamari calidi, quartam fructus partem plerumque sistentibus.

Oleum e corticibus recentibus fructus maturi expressum, tenue, flavescens, odoris fragrantis. Pond. specif. 0,84—0,86.

CITRUS AURANTIUM, Folia, Flores, Fructus et Oleum.

Citrus aurantium L. (Polyadelphia Icosandria L.; fam. Aurantiaceæ), arbor in Asia spontanea, in Europa australi et America culta.

Folia alterna, ovato-oblonga, subacuminata, integra cum petiolo alato, coriacea, utrinque lævia, sempervirentia, glandulis oleiferis pellucide punctata, odoris grate aromatici, saporis paris subamari.

Flores, qui Naphæ dicuntur, candidi, calyce plano quinque dentato, corolla pentaphylla, petalis obtusis, subcarnosis, calyce pluries longioribus. Recentes sunt odoris fragrantis, grate aromatici, saporis similis subamari; siccati flavescentes, minus odori. Ne confundantur cum floribus Citri medicæ, qui paulo majores, extus e violaceo-rubelli.

Fructus immaturi siccati, subglobosi, umbilicati, magnitudine pisi majoris usque cerasi, coloris externe brunei vel griseo-viridis, odoris aromatici, saporis amari sub finem dulciusculi. Colliguntur virides post anthesin ab arboribus delapsi.

Cortex fructuum maturorum exsiccatus in segmentis prostat duris, ovato-oblongis, acutis, aurantiaco-bruneis, asperis, odoris aromatici proprii, parenchymate interno albo, spongioso. Cortices aurantiorum Curassavienses sunt anteponendi.

Oleum æthereum, oleum Naphæ dictum, e floribus recentibus destillatione elicitum, limpidum, tenue, subdecolor, ætate vero mox flavescens, odoris et saporis fortis aurantiaci. Pond. spec. 0,87—0,90.

COCCIONELLA.

Femella siccata *Cocci Cacti* L., ex America meridionali imprimis e Mexico allata.

Insecta parva, hemiptera, striis transversis notata, extus e rubro nigricantia, pulvere quasi albido inspersa, in pulverem trita læte coccinea, odoris mucidi animalis proprii, saporis acris, amaricantis et austeri.

COERULEUM BEROLINENSE.

Sit intense cœruleum, leve, fracturæ coloris cupracei non splendentis, odoris et saporis nullius, nec aqua, nec alcohole solubile. Affusa aqua bulliente ne fit mucilaginosum; eo præstantius est quo minorem aluminæ partem contineat.

COCHLEARIA, Herba florens.

Cochlearia officinalis L. (Tetradynamia Siliculosa L.; fam. Cruciferæ). Planta annua Europæ præsertim in regionibus borealibus frequens, apud nos in hortis culta.

Folia in caule erecto, subangulato, ramoso, alterna, glabra, læte viridia, succosa; radicalia cordato-subrotunda, longe petiolata; caulina sessilia, ovato-oblonga, subsinuata. Flores albi, pedunculati, in corymbum terminalem dispositi. Herba recens saporis acris, subamari, odoris proprii subacris, exsiccatione evanescentis.

Adhibeantur folia cum petiolis, semper recentia.

COLCHICUM, Bulbus, Semen.

Colchicum autumnale L. (Hexandria Trigynia L.; fam. Colchicaceæ), planta perennis, indigena, in pratis humidis frequens.

Radix bulbosa, carnosa, 2 centim. circiter crassa, ab altera parte convexa, ab altera plana, intus alba, odoris acriusculi, nauseosi, saporis, dum recens est, acris. Non ultra annum asservetur.

Effodiendus bulbus sub veris finem vel æstatis initio, foliis emarcidis, vel etiam autumno cum florere incipit.

Semina, matura colligenda, subglobosa, seminis Milii magnitudine, rugosa, ex fusco nigrescentia, inodora, saporis peramari simulque insigniter acris. Immatura, coloris pallidi, rejiciantur.

COLOCYNTHIS, Fructus.

Cucumis Colocynthis L. (Monœcia Syngenesia L.; fam. Cucurbitaceæ). Planta annua in Africa spontanea, in insulis Archipelagi græci et Hispania culta.

Fructus globosus (Pepo), Mali magnitudine, sub cortice ex flavo albido, lævi, pulpam offerens spongiosam, levissimam, albicantem, saporis intense

amari, acris et nauseosi, sexlocularem, e seminibus pro usu separandam. Afferuntur Colocynthides siccatæ et cortice liberatæ.

COLUMBO, Radix.

Cocculus palmatus Dec.; *Menispermum palmatum* Lam. (Diœcia Dodecandria L.; fam. Menispermeæ). Frutex scandens, sarmentosa Africæ orientalis.

Radix in taleolis adfertur inæqualibus, orbicularibus, plerumque perforatis, extus subfuscis, rugosis, intus ex pallide viridi-luteis, intra annulum lignosum, linea nigra finitum, medullam spongiosam, farinosam, ex flavo viridem foventibus. Hujus radicis odor debilis, balsamicus, sapor valde amarus, mucilaginosus.

Ex America et insula Java veniunt falsæ radices Columbo, intus non flavo-virides et amylo carentes; hinc cum iodi tinctura cœruleo colore, radicis genuinæ instar, non tinguntur.

CONSOLIDA MAJOR, Radix.

Symphytum officinale L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Borragineæ). Planta perennis, indigena, in pratis subhumidis et ad fossas crescens.

Radix subramosa, digitum circiter crassa, recens succulento-carnosa, siccata spongiosa, fragilis, extus nigra, intus alba, odoris fere nullius, saporis mucilaginei, postea subadstringentis.

CONTRAJERVA, Radix.

Dorstenia contrajerva L.; *Dorstenia Brasiliensis* Lam. (Monœcia Tetrandria L.; fam. Urticeæ). Planta perennis Americæ meridionalis.

Radix e trunculo nodoso, tuberculato, 1 ad 3 centim. crasso, constans, e fibris copiosis liberanda, extus griseo-fusca, intus ex albo flavescens, odoris debilis, aromatici, saporis subacris et amaricantis.

CONVALLARIA, Flores.

Lilium Convallium.

Convallaria majalis L. (Hexandria Monogynia L.; fam. Asparagineæ). Planta perennis sylvatica in Belgio frequens.

Hujus plantæ flores notissimi, nunc in usum medicum parum usitati. Serventur in vitris clausis.

CORIANDRUM, Semen.

Coriandrum sativum L. (Pentandria Digynia L.; fam. Umbelliferæ). Planta annua Europæ meridionalis et Orientis, in hortis apud nos culta

Fructus parvuli, globosi, Piperis albi fere magnitudine, e cinereo flavi vel ex flavo fusci, leviter striati, e seminibus (Achæniis) geminis arcte cohærentibus, constantes, odoris grate aromatici, saporis subdulcis, aromatici et subacris.

CORNU CERVI.

Cervus Elaphus L., animal ex ordine Ruminantium, in sylvis Germaniæ frequens.

Cornua pro ætate plus minusve ramosa, ab aliorum ruminantium cornubus habitu externo et textura spongiosa interna, facile distinguenda.

CRETA ALBA.

Characteres externi notissimi. Eligatur albissima, levis; rejicienda arenosa aut aliis partibus heterogeneis nimis inquinata.

Depuretur encheiresi in secunda parte Codicis dicta.

CROCUS, Florum stigmata.

Crocus sativus L. (Triandria Monogynia L.; fam. Irideæ). Planta perennis Orientis et Europæ meridionalis, in iisdem regionibus et in Gallia culta.

Croci genuini stigmata cum stylo, fila sunt 2 ad 3 centim. longa, tripartita, versus basin attenuata, apice dilatata, coloris saturate aurantiaci in basi flavescentis, odoris gravis, fragrantis, subnarcotici proprii, saporis balsamici, amaricantis, subacris, principio tinctorio intense flavo, in spiritu vini et in aqua æque solubili, ditissima.

Carthami tinctorii flosculi, Croco intermixti, colore dilutius luteo, basi non pallescente et apice quinquefido discernuntur.

Serva in vitris probe clausis et luci subtractis.

CUBEBÆ, Fructus.

Piper cubeba L. (Diandria Monogynia L.; fam. Piperaceæ). Frutex Indiæ orientalis.

Baccæ exsiccatæ rotundæ, magnitudine pisi minoris, duræ, pedunculatæ, reticulato-rugosæ, coloris cinerei, sub testa fragili nucleum fuscum, intus albidum, oleosum includentes, odoris grate aromatici, saporis acris, aromatici, in recessu refrigerantis.

CUMINUM, Semen.

Cymini semen.

Cuminum cyminum L. (Pentandria Digynia L.; fam. Umbelliferæ). Planta annua orientalis, in hortis culta.

Fructus (Diachæna) oblongi, utrinque attenuati, 4 ad 5 millim. longi, ex cinereo flavi, mericarpiis a latere subcontractis, jugis quinque hispidis, pallidioribus, valleculis convexis, odoris fortis, subnauseoso-aromatici, saporis proprii ex acri amaricantis.

CUPRUM.

Sit purum; quod dignoscendum si metalli in acido nitrico diluto soluti et a potassa excedente præcipitati solutio filtrata acidoque chlorhydrico neutralisata, nullum sedimentum cum carbonate potassico (Zinci indicium) præbet. Oxidum autem a nitrate cuprico, ope potassæ præcipitatum, in ammonia caustica plane sit solubile.

CURCUMA, Radix.

Curcuma longa L. (Monandria Monogynia L.; fam. Scitamineæ). Planta perennis Chinæ et Indiæ orientalis.

Radix (Rhizoma) adfertur tum in tuberibus subglobosis vel ovatis, nucem juglandem æquantibus, tum in frustis cylindricis, pollicaribus, nodosis, duris, ponderosis, extus e luteo fuscis, intus flavis, in fracturæ loco passim nitidulis, odoris modice fragrantis, proprii, saporis amaro-aromatici, calidiusculi. Charta infuso aquoso vel spirituoso Curcumæ picta, a quavis substantia alcalina rubore ad nigrum vergente tingitur.

CYDONIA, Fructus, Semen.

Pyrus cydonia L.; *Cydonia vulgaris* Pers. (Icosandria Pentagynia L.; fam. Pomaceæ). Arbor orientalis in hortis Europæ culta.

Fructus maturi, subglobosi, anguloso-sulcati, pallide lutei, tomento albo tecti, odoris proprii grati, saporis acerbi et subamari.

Semina oblongo-acuta, hinc plana, illinc gibba, 4 ad 5 millim. longa, extus fusca, non nitida, intus albida, eximie mucilaginosa, inodora, saporis fatui, mucilaginosi. Ne confundantur cum seminibus Pyri communis vel Mali, quæ nitentia sunt et indumento mucilaginoso carent.

CYNOGLOSSUM, Radix seu Cortex radicis.

Cynoglossum officinale L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Borragineæ). Planta biennis in locis siccis, ad vias et sepes crescens.

Radix, e planta bienni colligenda, fusiformis, longa, carnosa, simplex vel ramosa, superne 3 ad 8 centim. crassa, extus fusca, intus alba, recens odoris nauseosi, saporis fatui, mucilaginosi. Servetur in loco sicco.

DIGITALIS, Folia.

Digitalis purpurea, L. (Didynamia Angiospermia L.; fam. Scrophularineæ). Planta biennis in Belgio frequens.

Folia ovato-oblonga, acuta, rugosa, leviter et inæqualiter crenata, majora, mollia, superne obscure viridia, subtus pallidiora, pubescentia, saporis amari, acerrimi. E plantis incultis, in locis siccis crescentibus, tempore primo efflorescentiæ, colligantur. Caute serventur in vitris clausis.

DIOSMA CRENATA, Folia.

Folia Bucco.

Diosma crenata L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Diosmeæ). Planta frutescens Capensis.

Folia coriacea, lanceolata, serrulata, luteo-viridia, margine glanduloso-punctata, glabra, 2 ad 3 centim. longa, odoris penetrantis ingrati, saporis amari, aromatici.

DULCAMARA, Stipites.

Solanum dulcamara L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Solaneæ). Planta perennis frutescens, indigena, ad sepes, in fruticetis et locis humidis obvia.

Stipites (Caules) flexiles, subangulosi, pennam anserinam et ultra crassi, ramosi, glabri, lignosi; juniorum cortex externe et interne viridis, adultorum et majorum e flavo pullus vel e fusco viridis, rugosus et hiscens. Sapor primo subamarus, dein dulcis, odor mucidus, virosus, præsertim in recentibus.

Colligendi stipites sunt baccis maturatis et post foliorum lapsum.

ELEMI.

Gummi s. *resina Elemi.*

Amyridis elemiferæ L.? *Icicæ Icicarabæ Dec.* (Octandria Monogynia L.; fam. Terebinthaceæ), arboris Americæ meridionalis, succus resinosus sponte stillans et sole indurescens.

Prostat in glebis variæ magnitudinis, plerumque foliis palmæ involutis, ex albo flavis, punctis vel maculis virescentibus intermixtis, aliis opacis, aliis subdiaphanis, splendoris resinoso-vitrei, in frigore fragilibus, calore manuum emolliendis, odoris subfœniculacei, saporis paris, amaricantis.

Elemi in alcohole frigido partim tantum sed calore admoto plane solvitur. Distinguendum est a resina Pini maritimæ, magis flava, odoris ingrati terebinthinacei et in alcohole frigido solubili.

ERYSIMUM, Herba.

Erysimum officinale L.; *Sisymbrium officinale* Dec. (Tetradynamia Siliquosa L.; fam. Cruciferæ). Planta annua, indigena, ad vias et in ruderatis frequens.

Herba, caule erecto, ramoso, cylindrico, pubescente; foliis alternis, pubescentibus, inferioribus runcinatis, summis minoribus, subpetiolatis, hastatis, dentatis, odoris levis, saporis herbacei, subacris.

Flores parvi, flavi, subsessiles, in racemos spicatos digesti.

EUPHORBIUM.

Euphorbiæ officinarum L.; *Euphorbiæ Canariensis* L. et forsan plurium Euphorbiæ specierum (Dodecandria Tryginia L.; fam. Euphorbiaceæ), fruticum Africæ meridionalis, succus gummo-resinosus e planta sponte stillans et aëre induratus.

In guttis seu frustulis adfertur multiformibus, rotundatis vel angulatis, plerumque perforatis, extus sordide flavis vel rufescentibus, intus albidis, fracturæ conchoïdeæ, odoris nullius, saporis post masticationem acerrimi, urentis. Euphorbium prunis inspersum gratum odorem spargit. Caute serva.

FARFARA, Herba, Flores.

Tussilago farfara L. (Syngenesia Polygamia superflua L.; fam. Compositæ). Planta perennis, indigena, ad fossas et in agris argillaceis humidisque crescens.

Herba foliis radicalibus, latis, longe petiolatis, subrotundo-ovatis, sinuato-angulatis, denticulatis, subcarnosis, superne glabris et læte viridibus, subtus albido-tomentosis, odoris fere nullius, saporis mucilaginosi, amari, subadstringentis.

Flores flavi, solitarii, compositi, radiati, in scapo monocephalo tomentoso subaphyllo, ante folia nascentes, odoris debilis, saporis amariusculi. Colligantur nuper evoluti.

FEL BOVINUM s. TAURINUM.

Bovis Tauri domestici L., bilis cystica.

Succus viscosus, ex fusco flavus vel viridis, odoris peculiaris ingrati, saporis peramari et nauseosi. Sit recens.

FERRUM.

Metallum notissimum, tenax, ductile, magneti obediens.

In acido chlorhydrico diluto perfecte sit solubile, nec cupro inquinatum, quod cum ferro polito in solutione facile detegitur.

FOENICULUM, Semen.

Fœniculum dulce Dec. (Pentandria Digynia L.; fam. Umbelliferæ). Planta biennis Orientis et Europæ australis, apud nos culta.

Semina oblonga, ovoidea, pallide viridia, 7 millim. circiter longa, bipartibilia, achæniis convexo-planis, quinque-costatis, odoris fortis, aromatici, grati, saporis paris, subdulcis.

Rejiciantur semina Fœniculi vulgaris Dec. et Fœniculi piperiti Dec., quæ nigrescentia, parviuscula et saporis acris.

FOENUGRÆCUM, Semen.

Trigonella fœnum græcum L. (Diadelphia Decandria L.; fam. Papilionaceæ). Planta Europæ meridionalis annua.

Semina parva, oblongo-rotunda, obtusa, subquadrigona, compressa, utrinque sulco oblique notata, ex flavo vel e rubro fusca, glabra, odoris proprii submelilotini, saporis mucilaginosi, amaricantis.

FERRO-CYANURETUM POTASSII.

CYANURETUM FERROSO-KALICUM.

Proto-cyanuretum ferri et potassii. Kalium ferrato-cyanatum. Kali borussicum. Prussias potassæ luteus.



$$FeCy + 2KCy + 3HO = K^2FeCy^3, 3HO.$$

Sal in officinis chemicis majoribus paratum. Crystalli rhomboideæ, flavæ, odore carentes, saporis subdulciusculi et amaricantis, aqua sed non alcohole solubiles; igne candente decomponuntur.

Solutio hujus salis aquosa metalla plurima præcipitat. Perchloruretum ferri colore cœruleo et sulphas cupri colore rubro-fusco præceps agitur.

FILIX MAS, Radix.

Aspidium Filix mas Sw. (Cryptogamia L.; fam. Filicaceæ). Planta perennis indigena.

Radix, vel potius caudex, horizontalis, squamis paleaceis ferrugineis et stipitum reliquiis incrassatis, nec non foliorum futurorum gemmis intus viridibus tecta, extus atro-fusca, siccitate sordide rubella, fractura virescens, sapore et odore peculiari ingrato.

Ne confundatur cum caudice Athirii Filicis fœminæ obliquo nec horizontali, siccitate atro, stipitum reliquiis non incrassatis; nec cum caudice

Pteridis aquilinæ multo tenuiori, intus albo, epaleaceo, neque cum caudice Aspidii spinulosi, intus concolore.

Radices effodiendæ in sylvis montosis, lapidosis, sub finem æstatis vel autumno, remotis fibrillis paleisque, nec ultra annum serventur.

FRAGARIA, Radix.

Fragaria vesca L. (Icosandria Polygynia L.; fam. Rosaceæ). Planta perennis, indigena.

Radix (Rhizoma) cylindrico-fusiformis, 6 ad 9 centim. longa, superne squamis læte ferrugineis tecta, subtus fibris longis, filiformibus, fuscis, obsita, intus e flavo-rubella, inodora, saporis adstringentis.

FULIGO.

Substantia carbonacea, nigra, friabilis, odoris ingrati, saporis salsi, empyreumatici, ex lignorum combustorum fumo inferioribus caminorum parietibus accrescens.

FUMARIA, Herba florens.

Fumaria officinalis L. (Diadelphia Hexandria L.; fam. Fumariaceæ). Planta annua in agris et in hortis frequens.

Herba succulenta, foliis alternatim bipinnatis, foliolis trilobatis, angustatis, cuneiformibus, mollibus, inodoris, saporis amari, salsi, subacris.

Flores sunt parvi, pedunculati, subracemosi, bracteati, corolla irregulari calcarata, rubella.

GALANGA, Radix.

Maranta galanga L.; *Alpinia galanga* Willd. et Sw. (Monandria Monogynia L.; fam. Scitamineæ). Planta perennis Indiæ orientalis et Chinæ.

Radix (Rhizoma) in frustis advecta 7 ad 8 centim. longis, digitum circiter crassis, rugosis, annulato-geniculatis, extus e fusco rufis, intus rubellis, odoris aromatici, saporis fervidi, acris, subamari.

GALBANUM.

Galbani officinalis L. (Pentandria Digynia L.; fam. Umbelliferæ), fruticis Arabiæ, Persiæ, etc., succus sponte vel e sauciato cortice stillans et aëre induratus.

Gummi-resina in placentis e granis ut plurimum inter se conglutinatis constans, rarius in granis separatis, albo-flavescens, subsplendida, glutinosa, ceræ consistentiæ sed calore manus lentescens, in frigore fragilis, odoris gravis, ingrati, saporis calidi, amaricantis, acris.

Galbanum in massis eo melius est, quo plura continet grana ex albo lutea et semipellucida.

GALLÆ.

Quercus infectoria Oliv. (Monœcia Polyandria L.; fam. Cupuliferæ). Frutex Asiæ minoris.

Excrescentiæ morbosæ, punctura Cynipis gallæ tinctoriæ Oliv., in foliorum petiolo vel in ramis junioribus productæ, globosæ, verrucosæ, rugosæ, subpedunculatæ, exsiccatione e flavescente cinereæ vel e nigro viridescentes, inodoræ, saporis peradstringentis.

Præstantissimæ sunt Aleppenses aut Turcicæ nigræ, ponderosæ, intus densæ, neque perforatæ.

GENTIANA, Radix.

Gentiana lutea L. (Pentandria Digynia L. fam. Gentianeæ). Planta montana perennis in Gallia, Helvetia, Germania, etc., crescens.

Radix cylindrica, longa, subramosa, superne digitum et ultra crassa, carnosa, siccata in segmentis allata variæ magnitudinis, contortis, annulato-rugosis, ponderosis, partem corticalem fuscam et partem internam porosam, flavam vel aurantiacam præbentibus, odoris proprii, subaromatici, saporis primum dulciusculi, dein amarissimi.

GEOFFROYA SURINAMENSIS, Cortex.

Geoffroya inermis Sw.; *Geoffroya Surinamensis* Murr. (Diadelphia Decandria L.; fam. Cæsalpineæ). Arbor Americæ meridionalis in nemoribus Surinamensibus frequens.

Cortex in frustis longis, planis, crassitudinis variæ pro arboris ætate vel parte a qua separatur, ponderosus, extus lichenibus griseis aut flavescentibus ablatis ex fusco cinereus, intus fibrosus, atro-purpureus, striis vel punctis lucide fuscis distinctus, odoris nullius, saporis amari, subadstringentis.

GNAPHALIUM, Flores.

Pes Cati.

Gnaphalium dioïcum L. (Syngenesia Polygamia superflua L.; fam. Corymbiferæ). Planta indigena.

Herba tri-quadripollicaris, lanuginosa, non ramosa, florum capitulis corymbosis, involucri squamis coloratis lævibus. Flores albi aut subpurpurei.

GRAMEN, Radix.

Triticum repens L. (Triandria Digynia L.; fam. Gramineæ). Planta perennis, indigena.

Radix, vel potius rhizoma, repens, prælonga, subramosa, teres, calamum stramineum circiter crassa, fistulosa, articulata, glabra, ad articulos distantes fibrillosa et squamosa, tenax, ex albo flavescens, succulento-carnosa, odoris vix ullius, saporis subdulcis.

Rejiciantur fibrillæ articulorum et radices insipidæ.

GRANATUM, Cortex radicis et fructuum.

Punica granatum L. (Icosandria Monogynia L.; fam. Myrtaceæ). Arbor Asiæ et Europæ meridionalis, apud nos in hibernaculis culta.

Cortex radicis, e planta spontanea colligendus, in frustis occurrit majoribus minoribusve, canaliculatis, flexuosis, fragilibus, 1 ad 2 millim. crassis, extus inæqualibus, griseo-luteis, intus e viridi pallide flavis, odoris debilis, nauseosi, ingrate amariusculi. Superficiei internæ ut plurimum fragmenta ligni pallide lutescentis adhærent.

Cortex fructus coriaceus, externe e fusco rubicundus, interne flavus, exsiccatione utrinque magis fuscus, inodorus, saporis amari et peradstringentis.

GRAPHITES.

Carburetum ferri nativum. Plumbago.

Minerale in Angliæ, Hispaniæ, etc., fodinis obvium.

Sit e cinereo nigrum, nitoris submetallici, tactu pingue, valde depingens, texturæ lamelloso-squamosæ, fracturæ granulosæ, subconchoïdeæ, nitentis. Pond. specif. 2,089.

GUAJACUM, Lignum, Resina.

Guajacum officinale L. (Decandria Monogynia L.; fam. Zygophylleæ). Arbor Indiæ occidentalis.

Lignum ponderosum, compactum, e viridi fuscum, aqua gravius, resinosum, cortice vestitum extus griseo-fusco, intus ex cinereo flavo, odoris, si calefiat, aromatici, saporis subacris et nonnihil amari. Alburnum est levius et pallide lutescens.

Rasura, in officinis plerumque obvia, cum frustulis albis, e lignis heterogeneis ortis, ne nimis sit mixta.

Resina, seu succus arboris resinosus inspissatus ex pullo virescens, in frustis inæqualibus advehitur, sæpe fragmentis corticis unita, fragilis, diffracta splendens, in frustis minoribus pellucida, subamara, acris, urens, prunis

inspersa odoris proprii, grati. In pulverem trita et luci exposita virescit. Alcohole soluta ab acido nitroso colore cœruleo tingitur.

GUMMI ARABICUM.

Acaciæ veræ Willd.; *Acaciæ Ehrenbergii* Hayn., aliarumque Acaciæ specierum (Polygamia Monœcia L.; fam. Mimoseæ), in variis Africæ regionibus crescentium, succus gummosus, sponte exsudans et aëre obduratus.

Gummi arabicum in frustulis adfertur globosis vel oblongis, variæ magnitudinis, albicantibus aut albo-flavescentibus, nitentibus, semipellucidis, fracturæ conchoïdeæ splendentis, odoris nullius, saporis fatui ac mucilaginosi, aqua maxime solubilibus. Veterinariis reliquenda frusta rubicunda aut griseo-brunea.

Gummi Senegalense, in Guinea, Senegambia, etc., collectum ab Acacia Vereck Guill. et Perot., Acacia Senegalensi Willd., fere omnino gummi arabico simile, in frustulis prostat durioribus, flavescentibus aut fuscis, vix pellucidis, et in aqua frigida non plane solubilibus.

GUMMI TRAGACANTHÆ.

Astragalus creticus Lam.; *Astragalus verus* Oliv. (Diadelphia Decandria L.; fam. Papilionaceæ). Frutices Græciæ et Asiæ minoris.

Gummi Tragacanthæ bonæ notæ in frustulis elongatis occurrit, tenuibus, filiformibus, multifarie contortis, vel latioribus applanatis et conglutinatis; album cæteroquin, subdiaphanum, tenax, leve, inodorum, in aqua ad mucilaginem spissum ac glutinosum intumescens. Rejiciendum est sordidum, flavum vel fuscum, quod Tragacantha in sortis nuncupatur.

GUMMI GUTTÆ.

Garciniæ Cambogiæ Roxb.; *Stalagmitis cambogioïdes* Murr. (Polyandria Monogynia L.; fam. Guttiferæ), arborum Indiæ orientalis, succus gummoresinosus, vel e ramulis resectis, vel e cortice trunci vulnerato emanans, et aëre aut leni calore induratus.

Prostat in placentis vel in frustis polymorphis, solidis, fragilibus, coloris e fusco lutei, fracturæ conchoïdeæ nitentis, in margine frustulorum subpellucidis, pulverem flavum trituratione præbentibus, odoris nullius, saporis primum debilis, dein ex acri subdulcis.

Gutti sordide fusco-luteum ab Hyperico baccifero, Hyperico Cayennensi aut Euphorbiæ speciebus collectum, rejiciatur.

HEDERA TERRESTRIS, Herba florens.

Glechoma hederacea L. (Didynamia Gymnospermia L.; fam. Labiatæ). Planta perennis, indigena.

Folia in caule tenui, simplici, radicante, quadrangulari opposita, petiolata, cordato-reniformia, crenata, glabra, subtus haud raro rubella, odoris subaromatici, fricata dum recentia sunt, intensi, saporis amaricantis.

Flores, in axilla foliorum nascentes, subpedunculati, purpurei vel amœne violacei.

HELENIUM, Radix.

Inula helenium L. (Syngenesia Polygamia superflua L.; fam. Compositæ). Planta perennis Europæ australis, in Belgio rara sed sæpe hortensis.

Radix magna, cylindrico-ramosa, fibris filiformibus albis et copiosis obsessa, læte griseo-fusca, subrugosa, intus cinereo-albida, punctis fuscescentibus quasi resinosis adspersa, densa, dura, fragilis, odoris fortis haud ingrati, aromatici, Violam odoratam redolentis et saporis acriusculi, amari, faucibus diu adhærentis.

HELLEBORUS ALBUS, Radix.

Veratrum album L. (Hexandria Trigynia L.; fam. Colchicaceæ). Planta perennis montana Europæ australis, Germaniæ, Helvetiæ, etc.

Radix (Rhizoma) siccata cylindrico-conica, obtusa, tuberculoso-rugosa, 2 centim. circiter crassa, 4 ad 5 centim. longa, e radiculis resectis scabra, epidermide tecta e luteo pallide fuscescente, intus albida vel fuscescens, odoris fere nullius, saporis primum nauseoso-amari, dein acerrimi, urentis.

HELLEBORUS NIGER, Radix.

Helleborus niger L. (Polyandria Polygynia L.; fam. Ranunculaceæ). Planta perennis in sylvis montosis Belgii et Europæ mediæ crescens.

Radix (Rhizoma) subrotunda, nigro-fusca, annulato-sulcata, 3 ad 4 centim. circiter crassa, ramos edens breves, geniculatos, e quibus prodeunt radicellæ numerosæ, prælongæ, intricatæ, e fusco nigricantes, intus albidæ vel flavescentes, saporis primum debilis, dein acris, nauseosi. Fibrillæ minores crassioribus ipsoque radicis tubere virtute præstant medica.

Ne confundatur cum radicibus Actææ spicatæ, Adonidis vernalis, Hellebori viridis aut fœtidi; genuina foliis radicalibus pedatis, foliolis magnis, nitidis, lævigatis et subintegerrimis dignoscitur. Caute serva.

HELMINTOCHORTON.

Corallina Corsica. Muscus Corallinus.

Helmintochortos officinalis L.; *Fucus helmintochortos* Dec.; *Sphæro-*

cocous helmintochortos Ag. (Cryptogamia L.; fam. Algæ). Crescit ad littora insulæ Corsicæ, Siciliæ, Lusitaniæ, etc.

Alga filis constans numerosis, cartilagineis, tenacibus, geniculatis, tenuissimis, dichotomis, coloris fusco-flavi, saporis salsi, ingrati, odoris mucidi, marini.

Helmintochorton officinarum massam implicatam, fusco-rufam, Corallina officinali, algisque heterogeniis commixtam, sistit. Removeantur conchylia et lapides sæpius immixti.

HIPPOCASTANUM, Cortex.

Æsculus Hippocastanum L. (Heptandria Monogynia L.; fam. Hippocastaneæ). Arbor Persiæ borealis in Belgio culta.

Cortex ex ramis mediæ ætatis collectus et ab alburno liberatus.

HIRUDO.

Hirudo medicinalis L., animal ex ordine Annelidarum in Galliæ, Germaniæ, Poloniæ, etc., paludibus frequens.

Hirudo, corpore subcylindrico, lubrico, annulato, antrorsum attenuato, in dorsum convexo, subtus plano; capite obtuso; ore triquetro dentibus tribus parvis, acutissimis munito; dorso atro-fusco vel obscure olivaceo lineis quatuor longitudinalibus picto, quarum prima dorsalis rufa, altera rufa nigro-maculata, tertia e nigro subrufa, quarta seu marginalis lutea; ventre sordide olivaceo, maculis nigris variegato.

HORDEUM, Semen.

Hordeum vulgare, Hord. distichum, Hord. hexasticum L. (Triandria Digynia L.; fam. Gramineæ), plantæ annuæ in Belgio cultæ.

Semen integrum, prout colligitur, Hordeum crudum vocari solet; quod cortice molendo exutum est, Hordeum mundatum, et quod mola in formam sphæricam redactum, Hordeum perlatum dicitur.

Hordei semina primæ germinationi subjecta, dein vel aëre libero, vel furni ope subito siccata, Malthum sistunt.

HYDRARGYRUM.

Mercurius Vivus.

Sit lucide splendens, digitis non adhærens, globulis exacte sphæricis currens.

Hydrargyrum plerumque plumbo et stanno, hinc inde zinco aut bismutho inquinatum adfertur. Depuretur encheiresi in parte secunda Codicis dicta.

HYOSCYAMUS, Folia, Semen.

Hyoscyamus niger L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Solaneæ). Planta biennis, indigena, in ruderatis et ad sepes obvia.

Folia in caule erecto, tereti, superne ramoso, villoso, subglutinoso, alterna, sessilia, amplexicaulia, oblongo-ovata, acuta, lata, pinnatifido-incisa, plus minus molliter subviscido-villosa, obscure viridia, odoris virosi, ingrati, saporis fatui, amaricantis, acris.

Semina parva compressa, orbiculari-subreniformia, foveolis reticulata, rugosa, cinerea, ex ochroleuco fusca, fere inodora cum sapore nauseoso, amarescente, oleoso.

HYPERICUM, Herba florens.

Hypericum perforatum L. (Polyadelphia Polyandria L.; fam. Hypericineæ). Planta perennis, indigena.

Herba, caule erecto, ramoso, tereti, glabro; foliis oppositis, sessilibus, oblongo-ovatis, integerrimis, glabris, punctis fuscis pellucidis crebris distinctis; floribus in cymas terminales paniculam formantes congestis, saturate luteis, odoris debilis haud ingrati, saporis balsamici, amaricantis, subadstringentis.

HYSSOPUS, Herba florens.

Hyssopus officinalis L. (Didynamia Gymnospermia L.; fam. Labiatæ). Fruticulus Europæ meridionalis, nobis hortensis.

Folia in caule erecto tetragono et ramis opposita, subsessilia, ovato-lanceolata, angusta, integerrima, obtusa, saturate viridia, subpilosa, sursum glabra, subtus punctata, margine minutissime ciliata, odoris fragrantis, saporis quodammodo calidi, aromatici, amaricantis.

Summitates subfloridæ, floribus cœruleis aut albis, fasciculato-verticillatis, in spicas racemosas secundas digestis.

ICHTHYOCOLLA.

Colla piscium.

Acipenser Huso, L.; *Acip. Guelderstædii* Brandt et Ratz.; *Acip. Ruthenus* L.; *Acip. stellatus* Pall., pisces mare Nigrum et Caspicum præcipue inhabitantes.

Vesiculæ natatoriæ aut intestinorum tunica interna siccata, vel plana, vel in spiras lyriformes contorta, alba, diaphana, tenax, odoris et saporis expers, in aqua fervida et spiritu vini aqua diluto penitus fere solubilis; solutio aquosa refrigerata gelatinam spissam exhibet.

INDIGO.

Cœruleum indicum. Pigmentum indicum.

Variæ *Indigoferæ* species (Diadelphia Decandria L.; fam. Leguminosæ), et aliæ plantæ, præcipue Isatis tinctoria et Polygonum tinctorium, indigo continent.

Est massa obscure cœrulea, inodora et insipida, quæ ungue impressa cupri colorem nitore refert. In aqua, spiritu vini, æthere, oleis, nec non in substantiis alcalinis, aqua dilutis, vix solvitur, immutataque remanet. Ignis ope sublimatur partim in crystallis acuformibus cupro-purpureis.

Indigo sit aqua levius; in fracto ne detegantur substantiæ heterogeneæ (calcariæ), et combustione ne nimiam copiam substantiarum terrearum, quibus haud raro adulteratum est, relinquat.

IODUM. IODIUM. IODINUM. IODINA.

Squamulæ griseo-nigræ, splendentes, odoris ingrati, saporis acris, metallici, igne sub forma vaporis violacei plane avolantes.

Iodum alcohole sit ex toto solubile.

IPECACUANHA, Radix.

Cephaëlis ipecacuanha Willd.; *Callicocca ipecacuanha* Brot. (Pentandria Monogynia L.; fam. Rubiaceæ). Planta perennis Brasiliæ.

Radix cylindrica, culmum stramineum usque calamum scriptorium tenuem crassa, dura, varie inflexa, annulis confertis rimisque profundis distincta, extus e fusco grisea, intus e luteolo alba, odoris mucidi, nauseosi, saporis amaricantis, subacris, nauseosi. Meditullium, a quo cortex crassus et friabilis facile separatur, lignosum, subflavescens, insipidum, rejiciendum est.

Pulvis in vitris probe clausis, nec nimis diu, servetur.

IRIS FLORENTINA, Radix.

Iris florentina L. (Triandria Monogynia L.; fam. Irideæ). Planta perennis Europæ meridionalis et Orientis, nobis hortensis.

Radix (Rhizoma) siccata et decorticata adfertur in frustis oblongis, compressis, inæqualibus, 3 centim. et ultra crassis, plus minus nodoso-ramosis, ponderosis, duris, ex albo flavis, cum punctis fuscis, odoris violacei, saporis mucilagineo-farinosi, amaricantis, subacris.

Cum radicibus varietatis vilioris nonnunquam adulteratur, quare odoratissima eligenda.

Servetur in loco sicco, aëre libero.

JALAPPA, Radix.

Convolvulus jalappa L.; *Ipomœa jalappa* Desf. (Pentandria Monogynia L.; fam. Convolvulaceæ). Planta perennis Mexicana.

Radix venalis in taleolis prostans subglobosis vel pyriformibus, subinde oblongis, sæpe in duas partes secta, ponderosa, compacta, cortice fusco et rugoso texta, intus annulis concentricis, resinosis, fuscis, textu celluloso lamelloso, obscure griseo, distincta; odoris est debilis, ingrati, saporis acris, nauseosi, subaciduli.

Cave ne hanc radicem ope alcoholis resina privatam accipias. Quæ vermibus erosa, ad extractionem resinæ inservit.

JECORIS ASELLI OLEUM.

E jecore *Gadi Morrhuœ* et aliarum Gadi generis specierum, in Norwegia præcipue obtinetur.

Duæ in commercio occurrunt species :

1° Oleum jecoris Aselli album, ex hepate recente sponte fluens, pingue, pellucidum, aureo-flavum vel flavescens, odoris et saporis piscini, ponderis specif. 0,920 — 0,922. In viginti circiter partibus alcoholis fervidi solvitur.

2° Oleum jecoris Aselli fuscum, ex hepate assato, vel plus minusve putrido elicitum, opacum, coloris badii, ponderis specifici 0,923, consistentia priori simili, sed odore et sapore ingrato empyreumatico-acri, diversum.

Oleum jecoris Aselli in vasis bene obturatis et loco frigido servetur.

Datur quoque oleum piscium nigrum ex hepate putrido caloris ope elicitum, consistentiæ syruposæ, ponderis specifici 0,929; minore virtute ac præcedentia olea gaudet, nec illis substituatur.

JUGLANS, Folia, Drupæ recentes, Oleum nucis.

Juglans regia L. (Monœcia Polyandria L.; fam. Juglandeæ). Arbor Orientis in Belgio culta.

Folia magna, impari-pinnata, pinnis oblongo-ovalibus, glabris, subserratis, subæqualibus, firmis, odoris peculiaris haud ingrati, saporis nauseoso-acris.

Drupæ immaturæ notissimæ; colligantur dum subula eburnea perforari possunt.

Oleum e nucleis maturis recenter expressum, flavicans, limpidum, spissiusculum, facile rancescens, inodorum, saporis grati, dulciusculi.

JUJUBÆ, Baccæ.

Zizyphus vulgaris L.; *Rhamnus Zizyphus* Lam. (Pentandria Monogynia L.; fam. Rhamneæ). Frutex Orientis, Europæ meridionalis et Africæ borealis.

Drupæ siccatæ magnitudine pruni minoris, rugosæ, ovales, utrinque obtusæ, rubro-coccineæ, in parenchymate carnoso-granulato, albido, grate dulci et mucilaginoso, nucleum ferentes oblongo-ovatum, utrinque acutum, durum, bilocularem, rarius unilocularem.

JUNIPERUS, Baccæ.

Juniperus communis L. (Diœcia Polyandria L.; fam. Coniferæ). Frutex Europæ borealis, indigena.

Baccæ secundo tantum anno maturæ, globosæ, Pisi minoris magnitudine, superne tribus, a petalis relictis, punctis notatæ; recentes nigro-violaceæ, nitidæ; siccæ nigræ, in parenchymate carnoso exsucco, rufescente, saporis dulcis, aromatici, odoris balsamici grati, tria includentes semina plano-convexa.

KINO.

Gummi Kino s. *Gambiense.*

Tres Kino species venales prostant, quarum binæ priores solum officinas intrent.

Prima, Gummi Kino verum s. Africanum dicta, ex arbore manans Africæ tropicæ (*Pterocarpus Senegalensis* Hook; Diadelphia Decandria L.; fam. Papilionaceæ), constat ex frustulis parvis, duris, opacis, nitidis, rubro-nigricantibus, margine subdiaphanis, odoris nullius, saporis adstringentis, salivam violaceo colore tingentibus. In aqua frigida fere dimidia pars, in fervida fere totum solvitur, æque ac in alcohole, quocum solutionem coloris sanguinei exhibet. Solutio aquosa cum chlorureto ferrico colore atro-viridi tingitur.

Secunda, Gummi Kino occidentale s. Americanum dicta, ex India occidentali, extractum *Coccolobæ uviferæ* (Octandria Digynia L.; fam. Polygoneæ), advehitur in frustis magnis, nigro-fuscis, fragilibus, fractura resinoso-splendentibus, saporis primo aciduli, dein peramari et adstringentis. Solutio aquosa cum chlorureto ferrico colore cœruleo-nigro tingitur.

Tertia, Kino Australe dicta, e Nova Hollandia, *Eucalypto resiniferæ* Sw. (Icosandria Monogynia L.; fam. Myrtaceæ) debetur. Frusta refert diversæ magnitudinis et formæ, heterogeneis mixta, intense atro-fusca, splendentia, saporis adstringentis, amari, in pulverem coloris pastæ cacaotinæ facile

terenda. Solutio ejus aquosa cum chlorureto ferrico colore fusco-nigro tingitur.

Prima species cæteris anteponenda, ne cum Sanguine Draconis, in aqua non solubili, sit inquinata.

KREOSOTUM.

$C^{28} H^{16} O^{4}$.

Liquor oleosus e pice liquida ligni Fagi destillatione pluries repetita elicitus.

Sit coloris expers vel leviter rufescens, pellucidus, odoris proprii gravissimi, saporis acris empyreumatici. In spiritu vini facillime, at in aquæ centum partibus tantum solvitur. Ebullit temperatura 203°. Pond. specif. 1,037. Servetur in vasis bene obturatis et loco obscuro.

Kreosotum Lacmi aut Curcumæ colorem non mutet. Lixivio potassæ causticæ solutum, ex addita aqua ne turbetur. In tubulo vitreo calori 100° C. expositum, aquam solutam vel alcoholem admixtum demittit.

LADANUM s. LABDANUM.

Cisti Ladaniferi L.; *Cisti Cyprii* Lam. (Polyandria Monogynia L.; fam. Cistineæ), fruticis Orientis et Europæ australis, succus gummi-resinosus.

Resina est solida, ponderosa, nigra, fracturæ subgriseæ, inter digitos facile mollescens, odoris balsamici, saporis subamari; accensa fumum suaveolentem spargit.

LACCA.

Fici religiosæ et indicæ L. aliarumque forsitan arborum Indiæ orientalis succus resinosus, ex arboribus istis, femellarum *Cocci ficus* punctura exsudans, siccando ramos incrustans, ejusdemque insecti pigmento rubro imbutus.

Duæ gummi Laccæ species in commercio nunc tantum habentur, scilicet: Lacca in granis et Lacca in tabulis.

Prior est in frustulis parvis, seu granis discretis, irregularibus, subpellucidis, rubicundis, saporis resinosi, odoris grati si accenduntur, et salivam colore purpureo tingentibus.

Secunda species, seu Lacca in tabulis, in lamellis prostat e flavo rubentibus, fere diaphanis, nitentibus, inodoris et insipidis, fragmentis vitri Antimonii similibus.

LACMUS.

Lacca musci.

Lichen roccella L. (Cryptogamia L.; fam. Lichenes), in rupibus maritimis insularum Azoricarum, Archipelagi, etc., crescens.

Pastæ quadrato-oblongæ, 2 centim. circiter longæ, pulchre cyaneæ, solidæ ast depingentes, fragiles, odoris subalcalini, in officinis propriis ex Lichene Roccella paratæ.

LACTUCA, Herba, Succus.

Lactuca sativa L. (Syngenesia Polygamia æqualis L.; fam. Compositæ). Planta annua, indigena, sæpius culta.

Folia in caule lævi erecta, oblonga vel rotundata, carina non aculeata.

Hujus plantæ succus lacteus induratus (Lactucarium) in frustulis prostat polymorphis, e fusco flaventibus, opacis, fragilibus, odoris virosi et saporis papaverini amari.

Ne confundatur Lactucarium cum succo ex eadem planta expresso et caloris ope siccato, fusco-rubescente, quem Thridacis nomine dignoscitur. Hic aëris humorem attrahit, nec odore viroso gaudet ut Lactucarium.

LACTUCA VIROSA, Herba.

Lactuca virosa L. (Syngenesia polygamia æqualis L.; fam. Compositæ). Planta biennis, indigena sed rarior, sæpius hortensis.

Folia in caule glabro, superne ramoso, inferne aculeato, alterna, sessilia, patentia, inferiora sinuato-dentata, undulata, in petiolum attenuata; superiora ovato-lanceolata, sagittata, integra, denticulata; utraque glauca, subtus costa media aculeata. Herba recens succo turget lacteo odoris nauseosi et saporis amari, acris.

Colligenda folia antheseos initio; nec confundenda planta cum Lactuca scariola L., quæ foliis verticalibus, runcinato-pinnatifidis ab illa distinguitur.

LAPATHUM ACUTUM, Radix.

Rumex obtusifolius L.; *Rumex purpureus* Poir. (Hexandria Trigynia L.; fam. Polygoneæ). Planta perennis in locis humidis, ad vias et in agris crescens.

Radix longa, fusiformis, simplex vel ramosa, superne digitum ad pollicem crassa, nonnihil fibrosa, ex fusco flava, intus lutea, inodora, saporis amaro-acris, subadstringentis. Masticata salivam flavo colore tingit.

LAPIS CALAMINARIS.

Carbonas Zincicus nativus. Calamina.

Substantia lapidea, compacta, ponderosa, coloris luteo-albicantis, ochracei aut rubelli. Pulverata in acido sulphurico calefacto solvitur, sedimentum gelatiniforme (terra silicea), relinquens.

LAURO-CERASUS, Folia.

Prunus lauro-cerasus L. (Icosandria Monogynia L.; fam. Amygdaleæ). Frutex vel arbor orientalis, nobis hortensis.

Folia recentia ovato-oblonga, acuta, integra, minutim serrata, coriacea, nitide viridia, subtus pallidiora, glandulis seu foveolis in dorso et ad basin ejus binis instructa, fere inodora, sed digitis trita odoris nuclei Mali persici, fragrantis, saporis styptici, amygdalini amari.

Adhibeantur semper recentia, et præsertim tempore æstivo ac calidiore colligantur.

LAURUS, Folia, Baccæ, Oleum.

Laurus nobilis L. (Enneandria Monogynia L.; fam. Laurineæ). Arbor Asiæ minoris et Europæ meridionalis, apud nos in hortis et viridariis culta.

Folia notissima semper virentia.

Fructus (Drupæ) siccati, oblongo-ovati, obtusi, nigricantes, Pisi minoris magnitudine, sub testa fragili nucleum fovens fuscum; odoris sunt aromatici, saporis pinguis, amari, balsamici, calidi.

Oleum e baccis recentibus elicitum, unguinosum, e flavo viride, spissum, quasi granulatum, odoris fortis laurini, in æthere plane, in spiritu vini partim tantum solubile.

LAVANDULA, Flores, Oleum.

Lavandula spica Dec. et *Lavandula vera* Dec. (Didynamia Gymnospermia L.; fam. Labiatæ), plantæ Europæ meridionalis, in hortis apud nos cultæ.

Flores in spicam terminalem, verticillatam congesti, parvi, violacei, bilabiati, labio superiore bifido, inferiore trifido; odoris sunt aromatici, grati, saporis amari, calidi. Colligantur nuper evoluti.

Oleum æthereum, in Gallia meridionali ex Lavandula latifolia seu Lavandula spica destillatione paratum, sit limpidum, tenue, pallide flavescens, odoris et saporis fortis, aromatici. Pondus specif. 0,98.

LEVISTICUM, Radix, Semen.

Ligusticum levisticum L.; *Levisticum officinale* Koch. (Pentandria Digynia L.; fam. Umbelliferæ). Planta Europæ meridionalis, nobis hortensis.

Radix (Rhizoma) sicca fusiformis, ramosa, superne 1 ad 2 centim. et ultra crassa, prælonga, transversim annulato-rimosa, extus nigricans, intus albida, in medio subflava, odoris proprii grati, saporis dulciusculi, aromatico-balsamici, subacris. Hodie præcipue a veterinariis præscribitur.

Semina oblonga, uno latere plana, altero convexa, membranacea, jugis quinque interstincta, fusca, glabra, odoris peculiaris, fortis, aromatici, saporis subdulcis, acris, aromatici.

LICHEN ISLANDICUS.

Cetraria Islandica Ach.; *Lichen Islandicus* L. (Cryptogamia L.; fam. Lichenes). Planta cellularis in Islandia aliisque terris montosis Europæ borealis crescens.

Lichen siccus membranaceus, subcoriaceus, sinuatus, laciniatus, extus coloris cinerei, intus fusci et fulvi, odoris debilis submucidi exsiccatione pereuntis, saporis amari, mucilaginosi.

LILIUM ALBUM, Bulbus, Petala recentia.

Lilium candidum L. (Hexandria Monogynia L.; fam. Liliaceæ). Planta Europæ meridionalis et Orientis, apud nos hortensis.

Bulbus ovato-globosus, squamis constans imbricatis, carnosis, laxis, albis quidem, sed exsiccatione rufis, fragilibus, inodoris, saporis subamari, viscosi.

Florum petala recentia, nivea, lanceolata, obtusa, odoris fragrantis, saporis subdulcis, glutinosi.

LINUM, Semen, Oleum, Farina.

Linum usitatissimum L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Lineæ). Planta annua in Belgio culta.

Semina parva, oblongo-ovata, compressa, glabra, nitida, sub membrana tenaci nucleum albidum, oleosum, includentia, odoris vix ullius, saporis ingrate dulcis et oleosi.

Oleum lini e seminibus elicitum, pingue, spissiusculum, pellucidum, fusco-flavum, odoris proprii ingrati, saporis debilis, nauseosi. Pond. specif. 0,93.

Farina, ex placentis post olei expressionem residuis et pulveratis constat. Ne diutius asservetur.

LIQUIRITIA, Radix, Succus.

Glycyrrhiza glabra L. (Diadelphia Decandria L.; fam. Leguminosæ). Planta perennis Europæ meridionalis.

Radix repens, prælonga, ramosa, cylindrica, 1 ad 2 centim. et ultra crassa, epidermide vestita glabra, e griseo-fusca, striato-sulcata. Transversim secta partem exhibet corticalem tenuem, et parenchyma læte flavum, radiatum, stratis circularibus duabus distinctum. Recens, odoris est

proprii, dulciusculi, saporis primo dulcissimi, dein amariusculi, subacris et ingrati.

Succus venalis, e radicibus recentibus coctione in aqua paratus, in massis prostat subcylindricis, solidis, nigris, siccis, fracturæ conchoïdeæ, saporis dulcis subacris. Ex Hispania et Sicilia Lauri foliis involutus, advehitur.

LITHARGYRUM.

OXYDUM PLUMBICUM.

PbO.

Protoxydum plumbi. Plumbum oxydatum fuscum.

Squamulæ ex albo vel rubello sordide flavescentes, nitidæ, ponderosæ, in acido nitrico vel acetico solubiles.

Cupro ne sit inquinatum, quod in solutione acido nitrico facta, addito liquore ammoniæ, ita ut prævaleat, colore cœruleo dignoscitur.

LOBELIA INFLATA, Herba florens.

Lobelia inflata L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Lobeliaceæ). Planta annua Americæ borealis.

Herba, caule erecto, superne ramoso; foliis ovalibus, margine undulatis et irregulariter dentatis, rugosis, glabriusculis, inodoris, saporis acris, pungentis. Flores sunt parvi, breviter pedicellati, pallide violacei, axillares et in racemos spicatos, terminales, digesti.

LUPULUS, Coni s. Strobili, Lupulina.

Humulus Lupulus L. (Diœcia Pentandria L.; fam. Urticeæ). Planta perennis in Belgio culta.

Amenta florum foemineorum subrotunda vel oblonga, ovata, squamis composita membranaceis, tenuibus, subpellucidis, mollibus, siccatione ex albido flavis, tactu viscidulis, pulvere flavo resinoso repleta, odoris grati, balsamici, narcotici, saporis amari, non ingrati.

Pars activa in pulvere flavo, Lupulina dicto, principium amarum, resinam oleumque æthereum continente et basi squamarum strobuli insidente, consistit. Lupulina in alcohole maxime solubilis est. E strobulis sacculo cannabino inclusis conquassatione elicitur.

LYCOPODIUM, Semen seu Pollen.

Lycopodium clavatum L. (Cryptogamia L.; fam. Lycopodiaceæ). Planta perennis indigena, sylvatica.

Semen (potius Sporulæ) subtilissimum, leve, attactu unguinosum, digitis adhærens, pallide flavum, odoris et saporis nullius. Igne admoto celerrime ardet cum flamma splendente et strepitu; aquam respuit.

Adulteratur quandoque polline Pini sylvestris, sed Lycopodii sporulæ globosæ sunt et aqua leviores; Pini pollen corpuscula sistit oblonga, curvata, facileque cum aqua miscetur, æque ac pollen Typhæ aliarumque plantarum. Amylum admixtum cœruleum colorem cum Iodo exhibet.

MAJORANA, Herba florens.

Origanum Majorana L. (Didynamia Gymnospermia L.; fam. Labiatæ). Planta Europæ meridionalis in hortis nostris culta.

Folia in caule erecto, tetragono, pubescente et in ramis conformibus, parva, opposita, ovalia, obtusa, subtomentosa, integerrima, brevi petiolata, ex albo viridia, odoris fortis, proprii, saporis aromatici, subacris, amaricantis.

Flores albi, in spiculas ternatas, sessiles, subglobosas, congesti.

MALVA SYLVESTRIS, Herba.

Malva sylvestris L. (Monadelphia Polyandria L.; fam. Malvaceæ). Planta indigena, fere ubique obvia.

Herba, caule erecto, herbaceo, ramoso, foliis septemlobatis, acutis, dentatis, subtus subvillosis, petiolis pedunculisque pilosis. Flores sunt axillares, aggregati, majusculi, violacei, purpureo-venosi, corolla quinque partita.

MALVA VULGARIS, Herba.

Malva rotundifolia L. (Monadelphya Polyandria L.; fam. Malvaceæ). Planta perennis indigena, vulgatissima.

Herba, caule prostrato, foliis longe petiolatis, subrotundis, obsolete quinque lobatis, denticulatis, utrinque minutim pubescentibus, inodoris, saporis subviscidi, mucilaginosi. Corolla pallide rubella, venis purpureis picta, inodora.

Ne confundenda cum Malva sylvestri, cujus caulis erectus, folia septemlobata et corolla major, violacea.

MANNA.

Fraxini Orni L.; *Orni Europeæ* Pers. (Diandria Monogynia L.; fam. Fraxineæ), arboris Europæ australis, succus sponte vel ex cortice inciso, mensibus æstivis stillans.

Manna Calabrina ac Siciliana in frustulis adfertur solidis, oblongis, levibus, friabilibus, ex albo lutescentibus, fracturæ granulatæ, calore manu emolliendis et subviscidis, odoris proprii, submellei, saporis dulcis, subnauseosi, acriusculi.

Præstat siccior, levior, purior, subpellucida, albicans cum rubedine. Glebæ hujus mannæ majores, purissimæ, sub nomine Mannæ electæ venduntur. Manna in lacrymis ex arbore sponte stillans omnium purissima, nobis nunquam adlata. Servetur in loco sicco et frigido.

Manna cum saccharo aut melle adulterata, detegitur ope alcoholis frigidi et diluti, qui saccharum præcipue solvit.

MARRUBIUM ALBUM, Herba.

Marrubium vulgare L. (Didynamia Gymnospermia L.; fam. Labiatæ). Planta perennis indigena.

Herba in caule erecto, ramoso, inferne lanuginoso, albido, folia offerens opposita, petiolata, subrotunda, utrinque incano villosa, grosse crenata, odoris proprii balsamici, tritu aucti, saporis similis, amari.

MASTICHE s. MASTIX.

Pistaciæ Lentisci L. (Diœcia Pentandria L.; fam. Terebinthaceæ), fruticis Europæ australis et Orientis, e cortice trunci et ramorum, resina in lacrymarum forma stillans ac sole indurescens.

In granis prostat parvis, subglobosis, siccis, fragilibus, pallide flavis, subpellucidis, superficie pulverulentis, fractura splendentibus, odoris debilis sed grate balsamici, saporis adstringentis, aromatici. Masticatione grana mollescunt et in essentia Terebinthinæ facile solvuntur. Ab Olibano aut Sandaraca quibus sæpe adulterantur, forma globosa, pelluciditate, etc., discernuntur.

MEL.

Substantia notissima, excreta *Apibus mellificis* L. e nectariis florum collecta et in favos delata.

Mel virgineum, e favis diffractis sponte emanans optimum, spissum, recens consistentiæ æquabilis, coloris ex albido flavescentis, odoris genuini, balsamici, grati, saporis dulcissimi, amœni, tempore in massam granulosam opacam mutans.

Mel commune vel flavum e favis expressum vel excoctum, coloris flavo-fuscescentis, pro veterinariis reservatur.

Mel in spiritu vini 20° plane solvitur; aqua dilutum et ebullitum

cum tinctura Iodi non cœrulescat, ex farina fraudulenter admixta. Servetur in loco frigido sicco.

MELILOTUS, Summitates floridæ.

Trifolium melilotus L.; *Melilotus officinalis* Willd. (Diadelphia Decandria, fam. Papilionaceæ). Planta biennis, indigena, ad vias et in ruderatis frequens.

Herba, caule erecto, ramoso, glabro; foliis alternis, petiolatis, ternatis, foliolis ovatis, obtusis, mucronatis, acute serratis, glabris, saturate viridibus, saporis subamari, mucilaginosi; floribus luteis seu citrinis, in spicas prælongas digestis, corollis papilionaceis, odoris suaveolentis, subfragrantis.

MELISSA, Herba.

Melissa officinalis L. (Didynamia Gymnospermia L.; fam. Labiatæ). Planta perennis Europæ australis, in Belgio culta.

Herba, caule erecto, ramoso, sulcato, superne subpiloso, foliis oppositis, breviter petiolatis, ovato-cordatis, obtusis, grosse et inæqualiter serratis, rugosis, pubescentibus, supra læte viridibus, infra pallidioribus, odoris gratissimi citrini, saporis similis, amariusculi.

Ne confundatur cum herba Dracocephali Moldavicæ L., cujus folia sunt lanceolata, inciso-crenata, subtus punctata. Hæc species apud nos etiam adhibetur snb nomine Melissæ Moldavicæ seu Turcicæ.

MENTHA CRISPA, Folia cum summitatibus.

Mentha crispa L. (Didynamia Gymnospermia L.; fam. Labiatæ). Planta annua Europæ australis, nobis hortensis.

Folia, in caule erecto, quadrigono, ramoso, subpiloso, opposita, brevissime petiolata, ovato-cordata, grosse et inæqualiter dentata, margine plus minusve undulato-crispa, rugosa, subhirsuta, obscure viridia, odoris fragrantis, balsamici, saporis aromatici, calidi, subamari.

Flores sunt verticillato-spicati, parvuli et pallide rubelli.

MENTHA PIPERITA, Folia cum summitatibus.

Mentha piperita L., planta perennis in Belgio haud communis, sed in hortis culta.

Herba, caule erecto, subsimplici et ramoso, quadrangulo, glabriusculo; foliis oppositis, subpetiolatis, ovato-lanceolatis, acutis, serratis, supra glabris, subtus subhirsutis, læte viridibus. Flores capitulato-spicati, densi, violaceo-purpurei, una cum foliis odoris fragrantis, saporis aromatici, cam-

phoracei, urentis, et postea grate refrigerantis. Serventur in vase probe clauso.

Ne confundenda planta ista cum Mentha viridi L., quæ distinguitur foliis subsessilibus, angustis, lanceolatis, acuminatis, utrinque glabris, saturate viridibus.

MERCURIALIS, Herba.

Mercurialis annua L. (Diœcia Enneandria L.; fam. Euphorbiaceæ). Planta annua, indigena.

Herba, in caule erecto, ramoso, glabro, folia offerens opposita, petiolata, ovato-lanceolata, acuta, obtuse serrata, brevissime ciliata, glabra, læte viridia. Flores parvi, axillares, e flavescenti virides, masculis pedunculatis, spicatis, fœmineis subsessilibus, solitariis. Folia recentia odoris ingrati, subvirosi, saporis salsi, amariusculi.

MEZEREUM, Cortex.

Daphne mezereum et *Daphne laureola* L. (Octandria Monogynia L.; fam. Thymeleæ). Frutex Galliæ, Hispaniæ, etc., nobis hortensis.

Cortex in segmentis seu fasciis longis, tenuibus et tenacissimis divisus adfertur. Sub epidermide cinereo-rufescente, glabra, sistunt strata corticalia, ex albo flavicantia, e fibrillis tenuibus contexta, odoris nullius, saporis peracris, urentis.

MILLEFOLIUM, Herba florens.

Achillea millefolium L. (Syngenesia Polygamia superflua L.; fam. Compositæ). Planta perennis Europæ et Americæ borealis.

Herba, caule erecto, cylindrico, lanuginoso, superne ramoso, foliis sessilibus, inferioribus bipinnatis, oblongo-lanceolatis, laciniis linearibus, dentatis, subtus lanuginosis. Flores sunt densi, in corymbum dispositi, albi aut rubelli. Hujus plantæ odor debilis, haud gratus, aromaticus, sapor amaricans, subadstringens.

MINIUM.

Plumbum oxydatum rubrum. Oxydum plumbi rubrum.



$$2PbO,PbO^2. = PbO,Pb^2O^3.$$

Pulvis ruber ponderosus, aqua insolubilis; igne ardente non avolat, sed oxygenium emittit oxydum plumbi flavum relinquens. Acido nitrico partim solvitur, partim in oxydum plumbi fuscum mutatur.

Adulteratio cum oxydo ferri rubro vel terra ochracea rubra agnoscitur

solvendo Minium in acido chlorhydrico ope caloris; terra insoluta remanet et solutio, propter ferrum, colorem flavum exhibet. Si cupro inquinatum est, solutio Minii prædicta addito ammonio caustico ultra punctum saturationis, dein filtrata, colore cœruleo tingitur.

MORUS, Baccæ.

Morus nigra L. (Monœcia Tetrandria L.; fam. Urticeæ). Arbor Orientis in Belgio culta.

Fructus notissimi.

MOSCHUS.

Folliculi *Moschi Moschiferi* L., animalis Asiæ mediæ, Tibeti, Tartariæ, etc., prope genitalia maris positi.

Duæ sunt Moschi species: scilicet Moschus Tunquinensis seu Tibetanus, et Moschus Moscoviticus seu Cabardinus aut Sibiricus.

Prima optima, in folliculis adfertur siccatis, rotundo-oblongis, ovum columbinum circiter magnis, hinc convexis, inde planis, in parte convexa et circa ductum excretorium, in medio positum, pilis rigidis, brevioribus, rarioribus, fuscescentibus, obsitis. Substantia interna subunctuosa est, granuloso-grumosa, plus minusve mollis, e rufo nigricans, globulis perpaucis variæ magnitudinis, fusco-nigris, pingue nitentibus et cuticulæ segmentis nec non pilis tenerrimis intermixta; magis siccata, punctis subresinosis lucidis, flavicantibus, notatur. Hæc massa a pilis et partibus membranaceis liberata, Moschus est officinalis odoris gravissimi proprii, saporis penetrantis, aromatico-amaricantis, nunquam salini.

Rejiciatur Moschus Moscoviticus, folliculis majoribus, odore debiliori, pilisque in vesica albo-cinereis, densis, longioribus, dignoscendus.

Moschus ex folliculis exemtus in officinis non recipiatur, utpote plerumque adulteratus.

Servetur in vitris bene clausis.

MYRRHA.

Balsamodendri Kataf Kunth; *Balsamodendri Myrrhæ* Nees ab Esemb. (Diœcia Octandria L.; fam. Amyrideæ), arborum Arabiæ felicis et Æthiopiæ, succus gummi-resinosus, e trunco exsudans et aëre induratus.

In frustis conglomeratis vel in granis prostat polymorphis, rugosis, variæ magnitudinis, coloris fulvi aut rufi, subpellucidis, tactu subpinguibus, fragilibus, fractura inæquali, non splendente, striis albidis intermixta, odoris proprii, grate aromatici, balsamici, saporis similis, amari.

Rejicienda est Myrrha in frustis adlata nigrescentibus, interne fusco-rubris, glutinosis, vel in frustulis albis et viridescentibus, odoris ingrati, terebinthinacei, saporis amarissimi, nauseosi, acris.

MYRTILLUS, Baccæ.

Vaccinium myrtillus L. (Octandria Monogynia L.; fam. Vaccineæ). Frutex in nemoribus Belgii frequens.

Fructus notissimi.

NASTURTIUM AQUATICUM, Herba recens.

Sysimbrium nasturtium L.; *Nasturtium officinale* Rob. Br. (Tetradynamia Siliquosa L.; fam. Cruciferæ). Planta perennis ad fontes ac rivulos indigena.

Herba, caule decumbente radicante, ramoso, cylindrico, glabro, foliis alternis, sessilibus, impari-pinnatis, foliolis oppositis, ovatis vel subrotundis, crassis, glabris, læte viridibus, saporis subacris, amaricantis, odoris, dum teritur, pungentis.

NEPETA, Herba.

Nepeta cataria L. (Didynamia Gymnospermia L.; fam. Labiatæ). Planta perennis, indigena.

Herba, foliis petiolatis, cordiformibus, dentato-serratis, pubescentibus; floribus verticillato-corymbosis, corolla albida aut rubella. Hujus plantæ odor fragrans, aromaticus, sapor aromatico-camphoraceus, subamarus.

NICOTIANA, Folia.

Nicotiana tabacum L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Solaneæ). Planta annua in America meridionali sponte crescens, apud nos culta.

Folia probe siccata, flavescentia, nondum contorta, odoris nauseoso-narcotici, saporis peramari, acris.

NITRAS POTASSÆ.

Kali nitricum crudum. Nitrum.

Sal crystallos exhibens prismaticas, hexangulares, saporis ingrati pungentis, salsi, amariusculi, refrigerantis. Vide Nitras potassæ depuratus.

NUX MOSCHATA, Macis et Oleum.

Myristica moschata L. (Diœcia Monadelphia L.; fam. Myristiceæ). Arbor insularum Moluccarum.

Semina seu nuclei subrotundi, extus cinereo-fusci, reticulato-rugosi, ponderosi, duriusculi, intus striis pallide rubellis et ex fusco rubris variegati, odoris fragrantis, grate aromatici, saporis aromatico-acris, oleosi.

Macis, seu Arillus nucis Moschatæ, laciniatus, retiformis, subcarnosus, tactu pinguis, flexilis, recens coccineus, subdiaphanus, post exsiccationem coloris læte cinnamomeo-flavescentis, odoris fortioris, saporis calidioris aromatici.

Oleum nucis expressum, butyrum seu balsamum Nucistæ dictum, substantiam sistit butyraceam, coloris ut Macis, odoris grate aromatici. In æthere plane solvitur; hinc sebo adulteratum solutionem in æthere turbidam præbet.

NUX VOMICA.

Strychnos nux vomica L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Strychneæ). Arbor Indiæ orientalis.

Semina disciformia, 2 centim. circiter lata, utrinque compresso-plana, margine nonnihil crassiora, 3 ad 4 millim. crassa, umbilicata, e cinereo ochroleuca, villis e flavo bruneis, mollibus, splendentibus obsita, inodora, cum sapore nauseoso, amarissimo. Cautissime serventur.

OLEUM OLIVARUM.

Olea Europæa L. (Diandria Monogynia L.; fam. Oleineæ). Arbor Orientis et Europæ meridionalis.

Oleum e drupis maturis leni expressione obtentum, pingue, pellucidum, coloris virescentis vel pallide flavescentis, vix odoratum, saporis subdulcis, mitis, frigore facile in massam albam, granulosam, coalescens. Pond. specif. 0,915.

Oleum Olivarum commune, secunda expressione et ope caloris obtentum, coloris obscurioris flavo-virentis, non nimis spissum, odoris proprii haud grati etsi debilis, pond. specif. 0,927. Hoc ad paranda emplastra et olea cocta solummodo adhibeatur.

Adulteratio cum oleo Papaveris detegitur ope acidi nitrosi aut solutionis recentis sex partium hydrargyri in septem cum dimidia partibus acidi nitrici 38°, quacum sufficiente quantitate commixtum et bene conquassatum post aliquot horas, temperatura 6-15 C., penitus indurescere debet.

OLEUM PYRO-ANIMALE.

Oleum animale empyreumaticum. Oleum cornu cervi fœtidum.

Ex omnibus partibus animalium in officinis chemicis destillatione sicca obtinetur.

Oleum crassiusculum, fusco-nigrum, opacum, odoris fortis alcalino-empyreumatici, saporis paris, amaricantis, nauseosi.

Depuretur encheiresi in altera parte Codicis dicta.

OLIBANUM s. THUS.

Boswelliæ serratæ Coleb; *Boswelliæ thuriferæ* Roxb. (Decandria Monogynia L.; fam. Amyrideæ), arboris Indiæ orientalis, succus gummiresinosus e trunco stillans et aëre indurescens.

Olibanum in granis adfertur oblongis aut subrotundis, sæpe invicem cohærentibus, siccis, fragilibus, ex albo flavescentibus vel rubellis, semipellucidis, externe pulvere albido inspersis, tactu asperis, fracturæ planoconchoïdeæ, saporis balsamici, amariusculi, odoris balsamico-resinosi, imprimis dum incenduntur.

ONONIS, Radix.

Ononis spinosa L. (Diadelphia Decandria L.; fam. Papilionaceæ). Planta perennis, indigena, ad vias et in ruderatis frequens.

Radix repens, teres, prælonga, digitum crassa, lignosa, flexibilis, tenax, extus griseo-fusca, intus alba, odoris expers, saporis amariusculi, adstringentis.

OPIUM.

Papaver somniferum L. (Polyandria Monogynia L.; fam. Papaveraceæ). Planta annua in Oriente spontanea.

Succus gummi-resinosus e pericarpiis submaturis vulneratis stillans et aëre induratus, in placentis prostat rotundis vel complanatis, variæ magnitudinis, foliis involutus seminibusque rumicis cujusdam sæpius conspersus.

Massam refert solidam, ponderosam, opacam, parum nitentem, inter digitos mollescentem, coloris e fulvo rufi aut flavo-fusci, odoris ingrati, narcotici, saporis acris, amari, nauseosi. In aqua et in alcohole 25° maxima ex parte solvitur.

Eo melius est Opium quo majorem Morphinæ copiam continet, seu quo infusum aquosum, ammonia liquida affusa, magis præcipitatur. Solutio ejus aquosa satis diluta ut color sit pallide fuscus, guttulis aliquot perchlorureti ferri soluti colorem induit rubrum, acidi Meconici indicium.

Solum Opium Smyrneum admittendum, et cavendum ab Opio odoris debilis, empyreumatici, coloris obscure fusci aut nigri, glutinoso aut aëris humore mollescente, nec non a nimis duro et fragili, non inflammabili,

et salivam, quam genuinum ex flavo subfusco tingit, obscure fuscam reddente.

OPOPONAX.

Pastinacæ opoponacis L.; *Ferulæ opoponacis* Spr. (Pentandria Digynia L.; fam. Umbelliferæ), plantæ Europæ australis et Orientis, succus e caulibus et radice sauciatis effluens et aëre induratus.

Gummi-resina granulosa, fragilis, tactu subpinguis, extus rufo-lutescens, intus pallidior, odoris fortis, subnauseosi, saporis balsamici, amari, in globulis Nucis Avellanæ vel Juglandis magnitudinis ut plurimum conglutinata.

ORIGANUM, Herba florens.

Origanum vulgare L. (Didynamia Gymnospermia L.; fam. Labiatæ). Planta perennis indigena.

Folia in caule erecto, obsolete tetragono, purpurascente-fusco, superne ramoso opposita, petiolata, ovata, subtus pubescentia. Flores corymbosi in spicas densas, bracteatas dispositi, corollis pallide purpureis, rarius albidis.

ORYZA, Semen.

Oryza sativa L. (Hexandria Digynia L.; fam. Gramineæ). Planta annua Indiæ orientalis, in regionibus calidioribus culta.

Semen Oryzæ excorticatum notissimum. Sit album, subpellucidum, durissimum, inodorum et insipidum.

OS SEPIÆ.

Pars dorsi testacea interna *Sepiæ officinalis* L., Molluscum maris Mediterranei.

Os sepiæ lamina est solida, ovato-oblonga, alba, levis, utrinque leviter convexa, in parte superiore lamellis concentricis, tenuibus, corneis, et in parte inferiore e substantia porosa constans, fragilis, inodora, saporis subsalso-marini, terrei. Pars inferior sola in usum vocanda.

OSSA USTA ALBA.

Phosphas calcis ossium. Cinis ossium. Cornu cervi ustum.

Parantur ossium calcinatione donec carbo aëris aditu plane combustus sit. Massam efformant griseo-albam, e phosphate calcis et parva quantitate carbonatis calcis compositam. In acido chlorhydrico diluto cum effervescentia solvuntur.

BI-OXALAS POTASSÆ.

BI-OXALAS KALICUS.

Kali bi-oxalicum. Superoxalas potassæ. Sal acetosellæ.



$$KO,C^2O^3+HO,C^2O^3+2HO.$$

Sal albus, acidus, in aquæ bullientis partibus decem solubilis, in spiritu vini rectificato non solubilis. Ne sit cremore tartari aut bisulphate potassæ vel nitrate potassæ inquinatus. Combustione relinquat cineres albos, carbonatem potassæ tantum continentes.

BI-OXYDUM MANGANESII.

BI-OXYDUM MANGANICUM.

Manganum hyperoxydatum. Superoxydum manganicum.

Occurrit in massis crystallinis vel radiatim fibrosis, compactis, ponderosis, fragilibus, subsplendentibus, coloris chalibeo-grisei, fracturæ minutim granulosæ, digitos inquinantibus.

Quod venale prostat, nonnisi compactum ematur, minime pulveratum. Præferendæ sunt massæ splendentes, texturæ lamellosæ seu radiatæ.

Quinque partes oxydi manganici puri cum sextuplo acidi chlorhydrici liquidi calefactæ circiter quatuor partes Chlori evolvunt; ideo eo melius est oxydum quo majorem Chlori copiam, operatione chlorometrica dignoscendam, emittit.

PAPAVER ALBUM, Capita, Semen, Oleum.

Papaver somniferum L. (Polyandria Monogynia L.; fam. Papaveraceæ). Planta annua Orientis in Belgio culta.

Capsulæ subglobosæ vel ovato-oblongæ, majusculæ, recentes glauco-cœrulescentes, siccæ rugosæ, flavo-testaceæ, pileo stellato ex reliquiis stigmatis formato coronatæ, saporis nauseosi, amari. Colligantur immaturæ, succo lacteo in parte corticali turgentes.

Capsula Papaveris somniferi, seminibus ademptis, pondere grammata quatuor pro usu medico adæquat.

Semina matura colligenda, minuta, reniformia, subrugosa, albicantia aut nigrescentia, odoris nullius, saporis oleoso-dulcis. Rejiciantur rancida vel cariosa.

Oleum e seminibus expressum unguinosum, paululum spissum, flavescens, odoris fere expers, saporis grati, dulciusculi. Pond. specif. 0,923.

PAPAVER RHÆAS, Flores.

Papaver rhœas L. (Polyandria Monogynia L.; fam. Primulaceæ). Planta annua, indigena, inter cerealia frequens.

Flores solitarii, ex petalis quatuor puniceis constantes, subrotundis, basi nigro maculatis, odoris debilis, subpapaverini, saporis subamari, mucilaginosi. Capsula est obovata vel subrotunda et glabra; qua nota ab affinibus speciebus distinguitur.

PARIETARIA, Herba.

Parietaria officinalis Willd. (Tetrandria Monogynia L.; fam. Urticeæ). Planta perennis, indigena, ad vias, muros, etc., crescens.

Herba, caule erecto, cylindrico, ramoso, subpiloso, carnoso, rubescente; foliis alternis, petiolatis, ovatis, acuminatis, integerrimis, utrinque breviter pilosis, asperis, saturate viridibus; floribus parvis, axillaribus, apetalis, incano-viridibus.

Planta inodora, saporis subsalsi, amariusculi, subadstringentis.

PASSULÆ MINORES.

Passulæ Corinthiacæ. Uvæ minores.

Vitis apyrena L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Viniferæ). Frutex Europæ australis, imprimis Archipelagi græci.

Baccæ maturæ vel siccatæ, nigro-fuscæ, subrotundæ, vix Pisi minoris magnitudine, molles, rugosæ, parenchymatis pulposi, seminum expertes, odoris debilis vinosi, saporis e dulci aciduli. Probe mundentur.

PETROLEUM.

Oleum petræ.

Bitumen liquidum in Oriente et in variis Europæ locis e terra vel rimis saxorum passim profluens, sæpius aquæ innatans.

Duæ in commercio habentur species :

Petroleum album dictum, tenue, limpidum, flavescens vel rubello-flavum, volatile, odoris penetrantis succinei, saporis balsamici, aëris aditu per tempus spissescens, et in sequentem speciem sese immutans. Pond. specif. 0,79-0,85.

Petroleum commune, fusco-nigrum, spissius, sub aquæ bullientis calore volatile, odoris penetrantis, bituminosi, fœtidi. Aëris aditu sensim in Maltham abit.

Constat e variis oleis ejusdem fere compositionis, et omnia ex carbone

hydrogenio conjuncto formata. In oleis, nec non in alcohole 33°, cui innatat, solvitur Petroleum. Adulteratio cum oleo Terebinthinæ ex addito acido sulphurico vel nitrico concentrato, incalescentia et denigratione innotescit.

Petroleum album semper dispensandum est nisi expressis verbis aliud petatur. Pro usu interno rectificatur.

Servetur in vasis probe clausis.

PETROSELINUM, Herba recens, Semina.

Apium petroselinum L. (Pentandria Digynia L.; fam. Umbelliferæ). Planta biennis in Belgio culta.

Folia decomposita, lucida, glabra, læte viridia; foliolis inferioribus ovato-cuneatis, trifido-incisis, superioribus lanceolato-linearibus, odore grato, aromatico, præsertim si teruntur, saporis paris.

Ne confundenda hæc planta cum Æthusa cynapium L., cujus folia e viridi nigricantia et odoris nauseosi, virosi, nullo modo aromatici.

Semina Petroselini minutula, virescentia, ex ovato-oblonga, incurva, hinc plana, inde convexa, costis quinque obtusiusculis notata, odoris aromatici proprii, saporis amaricantis, aromatici.

PHELLANDRIUM AQUATICUM, Semen.

Phellandrium aquaticum L.; *Ænanthe Phellandrium* Lam. (Pentandria Digynia L.; fam. Umbelliferæ). Planta perennis, indigena, ad lacus et in fossis obvia.

Fructus, vulgo Semina, parvi, ovato-oblongi, obsolete striati, e viridi subfusci, segmentis calycinis stylisque persistentibus coronati, bipartibiles in semina duo, uno latere plana, altero convexa, quinque costata, odoris graveolentis, levistici, saporis ingrati, dulciusculi.

PHOSPHORUS VENALIS.

Solidus, subtenax, recens albidus aut vix flavescens, subpellucidus, ceræ instar splendidus, odoris alliacei. Calore 44° C. liquatur; in aëre vapores emittit albos, noctu lucentes, et flammam facillime concipit.

Phosphorus venalis in bacillis prostat calamum scriptorium circiter crassis, temporis tractu strato albo tenue obductis. Qui nigrescentes sunt vel rubri, ut plurimum arsenico inficiuntur. Ad hoc metallum detegendum, Phosphorus ope acidi nitrici in acidum phosphoricum transmutetur, ex quo arsenicum facile innotescit. Vide Acidum phosphoricum.

Caute servetur Phosphorus in lagenulis vitreis aqua destillata impletis et accurate clausis, loco obscuro.

PICHURIM, Semen.

Faba Pichurim.

Ocotea Puchuri Mart.; *Nectandra Puchuri* Nees. (Diœcia Dodecandria L.; fam. Laurineæ). Arbor Americæ meridionalis.

Nuclei oblongo-ovati, utrinque obtusiusculi, in cotyledones duas uno latere planiusculas vel subcavas, altero convexas, ut plurimum disjuncti, extus nigricantes, glabri, intus subfusci, odoris ac saporis Nucis Moschatæ et ligni Sassafras mixti.

PIMPINELLA ALBA, Radix.

Pimpinella saxifraga L. (Pentandria Digynia L.; fam. Umbelliferæ). Planta perennis, indigena.

Radix fusiformis, subramosa, digitum minorem circiter crassa, striis annularibus rugosa, extus e flavo cinerea, intus albicans, lamelloso-subporosa punctisque resinosis notata, recens odoris fortis, ingrati, saporis ex subdulci amaricantis primum, dein calidi et acris.

PINUS, Resina alba, Colophonium, Pix alba, Pix nigra, Pix liquida, Terebinthina, Oleum essentiale, Gemmæ.

Pinus sylvestris L.; *Pinus abies* L.; *Pinus picea* L.; *Pinus larix* L. (Monœcia Monadelphia L.; fam. Coniferæ), arbores frequentissimæ in sylvis borealibus et in Belgio cultae.

Resina alba (Resina flava seu communis). Succus ex variarum Pini specierum trunco sponte fluens aut arte elicitus, aëre et frigore hiemali induratus.

Hæc resina flavescens, subdiaphana, frigore fragilis, ictu in fragmenta conchoïdea nitentia dissiliens, calore manus autem mollescens, odoris subterebinthinacei, saporis balsamici. In spiritu vini at non in aqua solvitur.

Resina particulis ligneis aliisque sordibus mixta, plane exsiccata, fere inodora, rejicienda est.

Colophonium (Pix græca, Resina fusca). Paratur ex resina communi sordibus privata, et in vase aperto sine aqua liquata donec pelluceat aut colorem rubro-flavum contraxerit odoremque terebinthinaceum perdiderit. Datur quoque alia Colophonii species, Colophonium terebinthinaceum

dicta, quæ residuum est destillationis Terebinthinæ ad oleum Terebinthinæ parandum, liquatione lenis caloris ope aqua privatum.

Pix alba (Pix Burgundica). Ex resina alba liquata cum aqua cocta, dein colata, obtinetur.

Massa est resinosa, pallide fusca, fere impellucida, parum nitens, odoris et saporis terebinthinacei, frigore fragilis, fracturæ conchoïdeæ, calore manus mollescens massamque tum præbens tenacissimam.

Pix nigra (Pix navalis). Paratur evaporatione seu destillatione Picis liquidæ cujus est residuum.

Massa solida, atra, lucida, vitri nigri in modum nitens, frigore fragilis, fractura planiuscula nitida, manus calore emollienda digitisque tenaciter, adhærens, odore resinoso, sed fere absque sapore.

Pix liquida. Ignis ope e ligno sicco Pinorum destillatione per descensum eliquatur.

Massa est semi-fluida vel liquidum tenax, obscure fuscum nitensque, ingrate olens, saporis amari acris, empyreumatici.

Terebinthina. Liquor balsamicus e trunco Pini sauciato vel sponte stillans.

Dantur duæ Terebinthinæ species, scilicet :

1° *Terebinthina communis*. Resina fluida e trunco vulnerato Pini silvestris L. elicita, spissa, tenax, albida seu ochroleuca vel grisea, opaca, granulosa, odoris fortis graveolentis, resinosi, saporis nauseosi, acris, cum quadam amaritie. In spiritu vini quam maxime solvitur. Ex resina et oleo Terebinthinæ constat.

2° *Terebinthina Veneta*. Pini Laricis L. succus nativus, subflavescens, pellucidus, mellis tenuioris consistentiæ, viscidus, tenuissimus, odoris gratioris terebinthinacei simulque citrini, cum sapore amaro et acri. Præcedenti compositione ac virtute similis, sed præstantior.

Oleum essentiale Terebinthinæ ($C^{20}H^{16}$). Destillatione e Terebinthina communi cum aqua obtinetur.

Oleum est æthereum, liquidum, tenuissimum, coloris expers, odoris ingrati balsamici, saporis acris pungentis, pond. specif. 0,86. Punctum ebullitionis 157° C.

Cave ne sit adulteratum cum oleo ex ligno et strobulis diversarum Pini specierum destillato, odoris deterioris.

Gemmæ pini. Ramulorum juniorum germina terminalia, aggregata, ferruginea, undique tecta squamis imbricatis, linearibus, membranaceis, resina exsudata glutinosis. Colligantur primo vere cœlo sereno, et in vasis optime clausis serventur.

PIPER, Semen.

Piper nigrum L. (Diandria Digynia L.; fam. Piperaceæ). Frutex Indiæ orientalis in insulis Moluccensibus præcipue cultus.

Baccæ immaturæ siccatæ, notissimæ.

PIPER ALBUM.

Baccæ maturæ Piperis nigri cortice liberatæ, rotundæ, læves, albæ, sapore minus acres quam Piper nigrum.

PIPER HISPANICUM, Fructus.

Piper indicum.

Capsicum annuum L.; *Capsicum indicum* Lobel. (Pentandria Monogynia L.; fam. Solaneæ). Planta annua Americæ meridionalis, in Belgio culta.

Fructus oblongi, obtusi, conici, 6 ad 9 centim. longi, coriaceo-membranacei, maturi coloris coccinei, bi-triloculares, semina foventes parva, albida, subrotunda, compressa, saporis proprii fervidi, piperacei, linguæ diu adhærentis.

PLUMBUM.

Metallum notissimum. In acido nitrico facile, in aliis autem acidis ægre solvitur. Solutio nitrica a sulphohydrate ammonico liquido e cinereo nigra evadit, ac sedimentum nigrum deponit. Cum sulphate sodæ præcipitatum album demittit.

POEONIA, Radix.

Pæonia officinalis L. (Polyandria Digynia L.; fam. Ranunculaceæ). Planta perennis Europæ meridionalis, apud nos in hortis culta.

Radix, ex rhizomate multicipite et tuberibus oblongis aut subrotundis, constans, extus rubro-fusca, intus albida, carnoso-succulenta, recens odoris proprii, ingrati, saporis nauseosi, primum dulciusculi, postea amari et subacris.

POLYGALA AMARA, Tota planta.

Polygala amara L.; *Polygala amarella* Cr. et Reich. (Diadelphia Octandria L.; fam. Polygaleæ). Planta perennis, indigena.

Herba subflorida cum radice tenui, fibrosa, nodosa, in radicellis inferne divisa densis, rigidis, subluteis; foliis inferioribus obtusis, spatulatis, in orbem dispositis, superioribus sessilibus, angustis, lanceolatis, acutis.

Flores in racemum terminalem dispositi, læte cœrulei aut albicantes. Tota planta fere inodora, peramara.

POLYGALA SENEGA, Radix.

Polygala senega L. (Diadelphia Octandria L.; fam. Polygaleæ). Planta perennis Americæ temperatæ et borealis.

Radix 2 ad 5 millim. crassa, varie torta et inflexa, rugosa, subnodosa, extus cortice tenaci, crasso, resinoso, flavescente, epidermide cinerea vestito, instructa, intus albida, odoris vix ullius, saporis primum farinacei, mox subacidi, dein ex amaro acris.

POLYPODIUM VULGARE, Radix.

Polypodium vulgare L. (Cryptogamia L.; fam. Filicaceæ). Planta perennis, indigena, in rupibus et sylvis obvia.

Radix (Caudex) horizontalis prælonga, calamum scriptorium crassa, tuberculosa, extus squamulis tenuibus, fuscis tecta, intus e luteo viridescens, siccata vero fuscescens, fere inodora, saporis primum prædulcis, nauseosi, dein adstringentis et ad finem amaricantis.

POPULUS, Gemmæ s. Oculi.

Populus nigra L. (Diœcia Octandria L.; fam. Amentaceæ). Arbor indigena.

Gemmæ seu germina foliorum ex flavo viridia et succo balsamico glutinoso turgida.

PRUNUS, Fructus.

Prunus domestica L. (Icosandria Monogynia L.; fam. Rosaceæ). Arbor apud nos culta.

Fructus notissimi.

PULEGIUM, Herba florens.

Mentha pulegium L. (Didynamia Gymnospermia L.; fam. Labiatæ). Planta perennis, indigena, in locis udis crescens.

Folia in caule repente, subtereti opposita, breviter petiolata, ovato-lanceolata, obtusa, dentata, hirsuta, saporis aromatici, fervidi, odoris fragrantis, aromatico-menthacei. Flores sunt verticillati, pallide violacei aut rubelli.

PULSATILLA, Herba florens.

Anemone pulsatilla L. (Polyandria Monogynia L.; fam. Ranunculaceæ). Planta perennis, indigena, in locis siccis crescens, sed rara.

Herba, caule erecto, tereti, subsimplici, pubescente; foliis radicalibus petiolatis, pilosis, foliolis multipartitis, laciniis angustis, linearibus, acutis, quodammodo subulatis. Flos solitarius, pendulus, hirsutus, longe pedunculatus, cum petalis sex reflexis, extus sericeis, intus cyaneis. Odor hujus plantæ vix ullus, sapor acer et urens. Caute serva in vitris clausis.

PYRETHRUM, Radix.

Anthemis pyrethrum L.; *Anacyclus Pyrethrum* Schr. (Syngenesia Polygamia superflua L.; fam. Compositæ). Planta perennis Africæ borealis et Europæ meridionalis.

Radix ad nos advecta in frustulis plus minusve longis, calamum scriptorium ad digitum minorem crassis, dura, rugosa, extus griseo-fusca, intus albida, odoris expers, saporis acris, urentis.

Radix Anacycli officinarum Hayn., quæ radix Pyrethri germanici vocatur, tenuior, extus e cinereo fusca, minus rugosa et fibris filiformibus notata.

QUASSIA, Lignum.

Quassia amara L. (Dodecandria Monogynia L.; fam. Simarubeæ). Frutex Indiæ occidentalis.

Lignum in segmentis subcylindricis, magnitudinis et crassitudinis variæ prostans, fibrosum, tenax, leve, albidum aut flavescens, epidermide subaspera, cinerea et cortice pallide flaviusculo tectum, odoris nullius, saporis amarissimi.

QUERCUS, Cortex, Glandes.

Quercus robur L.; *Quercus pedunculata* Willd. (Monœcia Polyandria L.; fam. Cupuliferæ). Arbores indigenæ.

Cortex biennium trienniumque ramorum vere detrahendus.

Glandes seu fructus maturi sine cupulis.

RATANHIA, Radix.

Krameria triandra Ruiz et Pavon. (Tetrandria Monogynia L.; fam. Polygaleæ). Suffrutex Americæ meridionalis.

Radix (Rhizoma) lignosa, ramosa, ramis teretibus prælongis, 1 ad 3 centim. crassis, passim tenuioribus, versus finem in fibrillas coarctatis. Sub epidermide rufo-fusca, aspera, corticem præbet crassiusculum, rubro-violaceum, inodorum, saporis peradstringentis, amaricantis. Masticata salivam colore obscure rubro tingit. Rejiciatur pars lignosa insipida et iners.

RHEUM, Radix.

Rheum palmatum L. (Enneandria Trigynia L.; fam. Polygoneæ). Planta perennis Chinensis.

Radix in officinis prostans decorticata, compacta, fragilis, extus flava vel ex albo lutea, intus dilute crocea cum striis albis et rubellis, Nucis Moschatæ instar variegata, odoris proprii quodammodo aromatici, saporis amaricantis, subadstringentis, ingrati.

Optima, Moscovitica dicta, in frustis prostat majoribus, polymorphis, ut plurimum oblongis aut subteretibus et foramine sat amplo pertusis.

Seligatur radix ponderosa, non cariosa, masticata stridens et salivam mox colore croceo tingens.

RHUS, Folia.

Rhus radicans et *Rhus toxicodendron* L. (Pentandria Trigynia L.; fam. Terebinthaceæ). Frutices sarmentosæ scandentes Americæ borealis, nobis hortenses.

Folia sunt alterna, longe petiolata, foliolis ovatis, acutis, integris aut sinuato-crenatis, obscure viridibus, glabris (Rhus radicans), vel subvillosis (Rhus Toxicodendron). Recentia succo lacteo flavescente, acri et cutim nigro pingente scatent. Colligantur ante anthesin manibus vestitis et caute serventur in vasis clausis.

RIBESIÆ RUBRÆ.

Ribes rubrum L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Grossulariæ). Frutex in hortis nostris cultus.

Fructus maturi sat noti.

RIBESIUM NIGRUM, Folia.

Ribes nigrum L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Grossulariæ). Frutex indigenus.

Folia longa, petiolata, quinque-loba, lobis acutiusculis grosse serratis, supra glabra, subtus pubescentia, odoris ingrati cymicini, saporis styptici, aciduli.

RICINUS, Oleum.

Oleum Castoris. Oleum Palmæ Christi.

Ricinus communis L. (Monœcia Monadelphia L.; fam. Euphorbiaceæ). Planta perennis utriusque Indiæ, Africæ et Europæ meridionalis, apud nos annua.

Oleum Ricini e seminibus expressione aut coctione cum aqua in India et

Gallia elicitum, pingue, spissiusculum, coloris expers aut pallide flavescens, inodorum, saporis mitis non acris. Pond. specif. 0,954.

Hoc oleum ex aëris aditu facile rancescit. In alcohole fortiori plane solvitur et in frigore lente coalescit. Rejiciatur fuscum, saporis acris, aut in alcohole 33° non plane solubile.

Servetur in lagenis repletis bene obturatis.

ROSA PALLIDA, Flores.

Rosa centifolia L. (Icosandria Polygynia L.; fam. Rosaceæ). Frutex Asiæ temperatæ, apud nos cultus.

Petala obcordata, pallide rubentia, odoris suavissimi, saporis subdulcis leniter adstringentis. Ante plenam florum evolutionem colligantur.

ROSA RUBRA, Flores.

Rosa gallica L. Frutex Europæ australis, nobis hortensis.

Petala obcordata, purpurea, recentia odoris suavis sed debilioris quam Rosæ centifoliæ, saporis subadstringentis et amaricantis. Colligantur ante florum explicationem, et resectis unguibus staminibusque remotis, celeriter siccentur.

ROSMARINUS, Herba florens, Oleum.

Rosmarinus officinalis L. (Diandria Monogynia L.; fam. Labiatæ), frutex Europæ meridionalis in Belgio cultus.

Folia in caule ramoso et in ramis oppositis, tetragonis, pubescentibus opposita, brevissime petiolata, lineari-lanceolata, obtusa, margine revoluta, superne saturate viridia, subtus incana et tomentosa, odoris fragrantis, fortis, saporis calidi, acris, camphoracei. Flores sunt spicati, ringentes, coloris e violaceo rubri.

Oleum æthereum (oleum Anthos) ex herba florente destillatione in Europa australi elicitum, tenue, decolor aut e subviridi flavum, odoris graveolentis, saporis camphoracei. Pond. specif. 0,911—0,915.

RUBIA, Radix.

Rubia tinctorum L. (Tetrandria Monogynia L.; fam. Rubiaceæ). Planta perennis Europæ meridionalis et Asiæ minoris, in Belgio culta.

Radix perennis, repens, prælonga, geniculata, sparse ramosa, calamum scriptorium circiter crassa, cortice vestita crassiusculo, tinctorio, cum epidermide e rubello cinerascente, intus, si recens, lutea, siccata rubrofusca, odoris fere nullius, saporis subadstringentis, amaricantis. E plantis tri vel quadriennibus colligenda est.

RUBUS, Baccæ.

Rubus idæus L. (Icosandria Monogynia L.; fam. Rosaceæ). Frutex indigenus in hortis cultus.

Fructus recentes, notissimi.

RUTA, Herba.

Ruta graveolens L. (Decandria Monogynia L.; fam. Rutaceæ). Fruticulus Europæ meridionalis, nobis hortensis.

Planta, caule glabro, glauco, inferne lignoso, superne herbaceo; foliis supra decompositis, ex glauco viridibus, petiolis teretibus, supra obsolete sulcatis, foliolis oblongis obtusis, integris vel margine minutim crenatis, terminali latiore obovato.

Folia ante anthesin colligenda, odoris fortis, proprii, saporis acris, amari, subaromatici. Caute serventur.

SABADILLA, Semen.

Veratrum sabadilla Retz.; *Veratrum officinale* Schlecht. (Polygamia Monœcia L.; fam. Colchicaceæ). Planta perennis Mexicana.

Semina in fructu tricapsulari, membranaceo, oblongo, circiter semipollicari, e flavo-fuscescente, ut plurimum inclusa, exigua, subteretia, 5 millim. longa, rugosa, incurva, latere uno subplana, altero convexa, margine acuto, fusco-nigra, nitida, intus albida, inodora, saporis acerrimi, urentis, ingrate amari. Caute serventur.


SABINA, Summitates ramorum.

Juniperus sabina L. (Diœcia Monadelphia L.; fam. Coniferæ). Frutex Asiæ et Europæ meridionalis, in Belgio cultus.

Frondes, foliis minutis, quaternis, erectis, adpresso-imbricatis, crassiusculis, saturate viridibus, odoris gravis, ingrati, saporis nauseosi, resinoso-balsamici, amari.

Sit herba siccata viridis; nec confundenda cum Junipero communi L. aut Junipero virginiana L., quorum ramuli foliis ternis tecti sunt. Caute servetur in vase clauso.

SACCHARUM LACTIS.



$4HO, C^{24}H^{20}O^{10}$.

In Helvetia præsertim, e sero lactis, evaporatione et crystallisatione, paratur.

In crustis adfertur compactis vel glebis crystallinis albis, subdiaphanis,

haud nitentibus, saccharo communi durioribus, inodoris, saporis leviter sed grate dulcis. Pond. specif. 1,543.

Solvitur in aquæ frigidæ partibus octo et vix in spiritu vini bulliente. Cum acido nitrico calefactum acidum Mucicum præbet. Flavescens aut sordidum omnino rejiciatur.

SACCHARUM RAFFINATUM.

Saccharum album. Saccharum Canariense.



E succo *Sacchari officinarum* L. (Triandria Digynia L.; fam. Gramineæ), nec non radicis *Betæ vulgaris* L. (Pentandria Digynia L.; fam. Chenopodeæ), elicitur.

Substantia hæc notissima sit alba, inodora, sicca, dura, in aëre non mutans, in dimidia parte aquæ frigidæ, in quavis fere fervidæ solubilis; in alcohole quo magis rectificato eo minus solvitur. Acidis dilutis solutum, ope caloris transmutatur in Saccharum grumosum, Glucosam dictum, quæ saporis minus dulcis et in aqua alcalina soluta coctione subito nigrescit.

Saccharum calce, alumine vel metallis nocivis inquinatum, combustum cineres relinquit, quorum natura solutione in acido chlorhydrico facile exploratur.

Pro usu pharmaceutico et præsertim ad parandos syrupos Saccharum raffinatum adhibeatur.

SAGAPENUM.

Ferula Persica? Willd. (Pentandria Digynia L.; fam. Umbelliferæ). Planta perennis Persiæ et aliarum regionum orientalium.

Gummi resina tenax, pinguis, fusca, lacrymis aut granis variæ magnitudinis, fulvis aut rufis, subpellucidis intermixta, odoris ingrati, alliacei, saporis gravis, amaricantis, calidi et acris.

SAGO s. SAGU.

Sagus Rumphii Willd.; *Sagus farinifera* Lam. (Monœcia Hexandria L.; fam. Palmæ), arbores Indiæ orientalis.

Fæcula amylacea e medulla harum arborum auxiliante aqua obtenta, in granis prostans parvis, subrotundis, quodammodo angulatis, albis, subrubris aut pullis, perduris, diaphanis, odoris ac saporis farinosi proprii, in aqua, vino et aceto solubilibus. Præstantiora sunt alba.

SALEP.

Orchis Morio L.; *Orchis mascula* L.; *Orchis militaris* L. (Gynandria Digynia L.; fam. Orchideæ). Plantæ perennes Asiæ et Europæ.

Radix in tuberibus adfertur plerumque filo trajectis, ovato-oblongis, subglobosis, rarius palmatis, semipellucidis, ponderosis, e subfusco cinereis, Pisi minoris ad Nucis Juglandis magnitudine, odoris debilis sed proprii, saporis mucilaginosi. Rejiciantur pulla, cariosa, levia aut rugosa.

SALIX, Cortex.

Salix purpurea L.; *Salix helix* L. (Diœcia Diandria L.; fam. Salicineæ), arbores indigenæ.

Cortex e ramis biennibus ad summum triennibus primo vere colligendus, tenuis, nitidus, recens ex viridi flavidus vel rubellus, ab exsiccatione extus fuscus, intus pallide flavus, odoris proprii subbalsamici, saporis grate amari, balsamici et adstringentis.

SALVIA, Herba.

Salvia officinalis L. (Diandria Monogynia L.; fam. Labiatæ). Fruticulus apud nos hortensis, in Europa meridionali sponte crescens.

Folia in caule quadrangulo, villoso, ramoso, opposita, petiolata, ovato-lanceolata, acutiuscula, denticulata, rugosa, utrinque subvillosa, coloris ex glauco viridis, odoris fragrantis, balsamico-camphoracei, saporis amaricantis, aromatici.

SAMBUCUS, Flores, Baccæ, Cortex interior.

Sambucus nigra L. (Pentandria Trigynia L.; fam. Viburneæ). Arbor in Belgio frequentissima.

Flores Cymosi notissimi, tempestate sicca colligendi.

Fructus seu baccæ maturæ recentes, orbiculatæ, Pisi fere magnitudine, nitentes, violaceo-nigræ, umbilico stellato notatæ, uniloculares, in parenchymate acidulo subdulci, semina foventes minuta, ovata, subtrigona.

Cortex arboris interior seu medianus, tempore verno detrahendus, viridis, ab epidermide cinerea et libro albido liberandus.

SANGUIS DRACONIS, Resina.

Calami Draconis Willd. et *Calami Rotang* L. (Hexandria Monogynia L.; fam. Palmæ), arborum Indiæ orientalis, succus gummi-resinosus e cortice inciso exsudans et aëre induratus.

Hæc resina in baculis, in lacrymis vel ut plurimum in massis variæ magnitudinis et foliis palmarum involutis adfertur. Genuina fragilis, obscure fusco-rubra, intus dilutior, fracturæ granulosæ, nitentis, in frustis minoribus subpellucida, odoris expers, saporis adstringentis. Trita pul-

verem pulchre cinnabarinum præbet et prunis inspersa odorem styraceum spargit. In aqua insolubilis est, at in spiritu vini fere tota solvitur, solutione atro-sanguinea.

SANTALUM RUBRUM, Lignum.

Pterocarpus santalinus? Linn. Fil. (Diadelphia Decandria L.; fam. Papilionaceæ). Arbor Ceylonensis et Indiæ.

Lignum tinctorium ponderosum, durum, in frustis magnis longitudinaliter scissis adlatum, extus saturate fusco-rubrum, passim in colorem subviolaceum abiens, intus læte rubrum, inodorum, sed affrictum odorem subaromaticum levem præbens. Aqua frigida nihil fere, spiritus vini autem facile pigmentum rubrum extrahit.

SAPO ALBUS.

Sapo Venetus.

Sapo natricus albus, duriusculus, ex oleo Olivarum paratus. Servetur in loco sicco et frigido.

SAPONARIA, Radix, Herba.

Saponaria officinalis L. (Decandria Monogynia L.; fam. Caryophylleæ). Planta perennis, indigena.

Radix prælonga, repens, teres, calamum scriptorium, quin ultra crassa, geniculata, ramosa, sub epidermide rubescente flavescens, carnosa, odoris vix ullius, saporis ab initio subdulcis dein amaricantis et subacris.

Folia in caule erecto, ramoso, nodoso, et in ramis patentibus, pubescentibus, scabriusculis ad genicula opposita, subsessilia, ovato-lanceolata, glabra, integerrima, trinervia, inodora, saporis mucilaginosi, amaricantis.

SARSAPARILLA, Radix.

Smilax sarsaparilla L.; *Smilax officinalis* Kunth; *Smilax syphilitica* Humb. (Diœcia Hexandria L.; fam. Smilaceæ). Suffrutices sarmentosi Americæ australis.

Radix (potius Rhyzoma) pollicaris, tuberoso-nodosa, ex qua prodeunt fibræ radicales prælongæ, fibrosæ, teretes, calamum scriptorium circiter crassæ, flexiles, subrugosæ, facillime juxta longitudinem discindendæ, sub epidermide griseo-brunea et cortice rubello, parenchyma album farinosum præbentes. Inodora est et saporis amylacei, submucilaginosi, dein amaricantis.

Plures in commercio Sarsaparillæ species prostant; harum præstantior Sarsaparilla de Honduras, cujus fibræ radicales longissimæ sunt.

Rejiciantur radices pallidæ, intus nigricantes, nimis porosæ vel cariosæ, fragiles, insipidæ vel mucidæ.

SASSAFRAS, Lignum radicis.

Laurus sassafras L. (Enneandria Monogynia L.; fam. Laurineæ). Arbor Americæ borealis.

Lignum radicis venale in frustis majoribus minoribusve adfertur, cortice crassiusculo, rugoso, spongioso, rubiginoso, fragili ut plurimum vestitis, odoris fœniculacei et saporis subdulcis, aromatici.

Ipsum lignum leve est, suberosum, in stratis externis e griseo fuscescens vel rubescens, intus pallide luteum, odoris et saporis corticis, sed debilioris.

SCABIOSA, Folia, Flores.

Scabiosa arvensis L. (Tetrandria Monogynia L.; fam. Dipsaceæ). Planta perennis, indigena.

Folia in caule erecto, ramoso, terete, hirsuto opposita, profunde pinnatifida, basi connata, subtus pilosa.

Flores terminales in capitulum plano-convexum aggregati, violaceo-rubelli, corollis tubulosis, inodori.

SCAMMONIUM s. SCAMMONIA.

Convolvuli scammoniæ L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Convolvulaceæ), plantæ perennis Asiæ minoris, succus gummi-resinosus e radice sauciata stillans et aëre condensatus.

In frustis prostat variæ figuræ et magnitudinis, compactis, levibus, friabilibus, cinereis vel viridescentibus, in fractura subsplendentibus, intus passim nigricantibus, cum aqua lactescentibus, odoris debilis, ingrati, saporis primum mitis, dein nauseosi, acris, urentis.

Rejiciatur Scammonium Smyrneum, ex frustis constans magis compactis, ponderosis, minus friabilibus, coloris obscurioris.

Hæc resina gummifera in aqua partim, solutione virescente turbida, in spiritu vini partim solutione limpida, solvitur.

SCILLA s. SQUILLA, Radix seu Bulbus.

Scilla maritima L. (Hexandria Monogynia L.; fam. Liliaceæ). Planta perennis, in oris maris Mediterranei sponte crescens.

Bulbus præmagnus, ovato-globosus, ponderosus, epidermide tenui, fusco-rubente, vestitus, ex squamis constans concentricis, imbricatis, adpressis, externis aridis lineatis, interioribus albis, striatis, hinc inde præcipue secundum nervos subrubentibus, in bulbo recente succo viscido, acri, peramaro turgentibus. Squamæ Scillæ exsiccatæ, corneæ, subpellucidæ, nervoso-lineatæ, odoris debilis, saporis nauseosi, amari, subacris.

Servetur in vasis clausis.

SCORDIUM, Herba.

Teucrium scordium L. (Didynamia Gymnospermia) L.; fam. Labiatæ). Planta perennis, indigena, in locis udis crescens.

Herba, caule quadrangulo, erectiusculo, geniculato, pubescente, foliis oppositis, subsessilibus, ovato-oblongis, basi angustioribus, serrato-dentatis, subasperis, superne viridibus, subtus pubescentibus, odoris gravis, alliacei, saporis paris, amari.

SECALE CORNUTUM.

Secalis cerealis L. (Triandria Digynia L.; fam. Gramineæ), semina monstrosa.

Grana subcylindrico-trigona, obtusa vel apice attenuata, plerumque plus minus curvata, sæpe longitudinaliter rugosa, 2 ad 3 centim. longa, extus e violaceo-nigrescentia, intus albo-fuscescentia, farinosa, inodora, saporis debilis, nauseosi, amariusculi.

Secale cornutum in ipsis agris sereno cœlo ante messem legendum, et in vitris siccis optime clausis non ultra annum servandum est.

SENNA, Folia.

Cassia lanceolata Forsk.; *Cassia Senna* Lam. (Decandria Monogynia L.; fam. Leguminosæ). Frutex Arabiæ et Nubiæ in India orientali cultus.

Folia lanceolato-ovalia, acuminata, basi inæqualia, 2 ad 3 centim. longa, 5 ad 7 millim. lata, nervosa, tactu molliuscula, e flavo viridia, odoris peculiaris nauseosi, saporis mucilagineo-amaricantis, subacris, ingrati.

Optima ex Alexandria et Tripoli adferuntur; quæ ex Aleppense et Italia proveniunt viliora; hæc latiora, tenuiora, minus acuminata, lætius viridia, vix amaricantia. Cave etiam ne foliis Cynanchi Arghel Delil., longioribus magis coriaceis, ex albo viridibus, utrinque pariter in acutum angustatis, parum venosis, nec non Coriariæ Myrtifoliæ, majoribus, crassioribus,

trinerviis, glabris, coriaceis, glaucis, inodoris, saporis acris, adstringentis, immixta sint.

Legumina, vulgo Folliculi Sennæ, sunt capsulæ sive siliquæ seminales, semilunares, compressæ, continentes semina quatuor vel sex nigricantia.

SERPENTARIA, Radix.

Aristolochia serpentaria L. (Gymnandria Hexandria L.; fam. Aristolochiæ). Planta perennis Virginiæ et Carolinæ.

Radix fibrillis constans numerosis, intricatis, e capitulo communi brevi, præmorso emergentibus, 8 ad 10 centim. longis, filiformibus, fragilibus, epidermide e viridi fusca vestitis, intus albidis, odoris fragrantis, camphoracei, saporis acris aromatici.

Ne confundatur cum radice Spigeliæ Marylandicæ L., quæ fibrillis tenuissimis, fuscis, fere inodoris et sapore nauseoso amaro, distinguitur.

SERPYLLUM, Herba florens.

Thymus serpillum L. (Didynamia Gymnospermia L.; fam. Labiatæ). Planta perennis, indigena, in locis apricis obvia.

Folia ad caules repentes, basi subfrutescentes, pubescentes, ramosos opposita, parva, subsessilia, ovata, obtusa, glabra, basi ciliata. Flores in capitulis terminalibus vel lateralibus verticillato-dispositi, cum corollis roseis, calycibus paulo longioribus. Hujus plantæ odor fragrans, grate balsamicus, sapor aromaticus, acer.

SEBUM s. SEVUM OVILLUM.

Sevum Vervecinum.

Pinguedo e capsulis adipalibus renum et omenti *Ovis Arietis* eliquata.

Sit alba, solida, fere inodora, saporis mitis. Servetur in vasis clausis, loco frigido et sicco.

SIMARUBA, Cortex.

Quassia simaruba L.; *Simaruba officinalis* Dec. (Decandria Monogynia L.; fam. Simarubeæ). Arbor in India occidentali et in Guajana præsertim crescens.

Cortex præcipue radicis, qui præstantior, in frustis adfertur longis, convolutis, tuberculatis et epidermide cinerea, rimulosa textis. Levis est, tenax, flexilis, fibrosus, intus lævis, coloris dilute flavi, odoris nullius, saporis intense amari. Pars lignosa adhærens, ut iners rejiciatur.

SINAPIS ALBA, Semen.

Sinapis alba L. (Tetradynamia Siliquosa L.; fam. Cruciferæ). Planta annua Europæ meridionalis.

Semina minuta, globosa, flavescentia aut ex flavo albicantia, glabra, subnitentia, inodora, saporis oleosi, acris.

SINAPIS NIGRA, Semen.

Sinapis nigra L. (Tetradynamia Siliquosa L.; fam. Cruciferæ). Planta annua in Belgio culta.

Semina parva, subrotunda, subcompressa, striata, extus nigrescentia, interne flava, inodora, trita autem et humectata, odoris acris nares ferientis. Horum seminum sapor subamarus, acer.

SPIGELIA, Herba cum Radice.

Spigelia anthelmia L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Loganiaceæ Endl.). Planta Americæ meridionalis annua.

Herba, radice tenui, fibrosa, caule erecto, subtereti, foliis ovato-acuminatis, subhirsutulis, integris, inferne cœruleo-viridibus, summis quaternis, fere inodoris, saporis fatui, subamari.

Sæpius adhibetur Spigelia Marylandica L., priori minus præstantior, et dignoscenda caule tetragono, foliis omnibus oppositis.

SPINA CERVINA, Baccæ.

Rhamnus catharticus L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Rhamneæ). Frutex in nemoribus Belgii frequens.

Baccæ maturæ subglobosæ, Pisi magnitudine, nigricantes, nitidæ, puncto elevato in apice notatæ, pulpam atroviridem et quatuor semina includentes, odoris ingrati, saporis ex amaro dulcis, subausteri, nauseosi.

Ne confundantur cum baccis Rhamni frangulæ L., vel Ligustri vulgaris L., in quibus duo semina tantum adsunt.

SPIRÆA ULMARIA, Herba, Flores.

Spiræa ulmaria L. (Icosandria Pentagynia L.; fam. Rosaceæ). Planta perennis, indigena, ad fossas et in pratis humidis crescens.

Folia in caule erecto, subanguloso, rubescente magna, interrupte pinnatisecta, lobo terminali majore trilobato, supra glabra, subtus sæpius tomentoso-nivea, raro nuda, saporis adstringentis. Flores albi vel rosei in cymum amplum terminalem dispositi, odoris fragrantis, suavis.

SPONGIA OFFICINALIS.

Zoophytum notissimum maris imprimis Mediterranei et maris Rubri.

Sit Spongia sublutescens, levis, mollis, elastica, foraminibus exiguis pertusa, et concrementis lapideis purgata.

SQUINA, Radix.

China.

Smilax china L. (Diœcia Hexandria L.; fam. Asparagineæ). Frutex scandens Asiæ orientalis, Chinæ et Japoniæ.

Radix geniculata, gibbosa, subcompressa, ponderosa, 12 ad 20 centim. longa, 3 ad 6 centim. crassa, sub cortice tenui, rufescente, parenchyma offerens albo-rubellum vel fuscescens, structuræ plus minusve porosæ. Odoris est quasi nullius, saporis farinaceĩ, subdulcis.

STANNUM.

Metallum notissimum. Præstat Malaccense.

Stannum cum acido nitrico 36° celeriter in acidum metastannicum insolubile vertitur. Liquor acido metastannico innatans defusus et aqua destillata dilutus, ne præcipitatum edat album ex affuso sulphate sodæ, nec ex addita ammonia liquida ultra gradum saturationis colorem cœruleum assumat. Arsenicum hunc liquorem inquinans apparatu Marshiano facile detegitur.

STAPHYSAGRIA, Semen.

Delphinium staphysagria L.; *Delphinium officinale* Wend. (Polyandria Trigynia L.; fam. Ranunculaceæ). Planta biennis Europæ meridionalis.

Semina grisea aut pallide fusca, trigona vel tetragona, lentis majoris circiter magnitudine, incurva, compressa, hinc convexa, inde plana, cum sutura prominula, nucleum oleosum, albo-luteum includentia, odoris ingrati, saporis admodum nauseosi, amari, acris.

STRAMONIUM, Folia, Semen.

Datura stramonium L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Solaneæ). Planta annua, indigena.

Folia in caule erecto, dichotomo, tereti, glabro, lucidiusculo magna, petiolata, ovata, acuminata, sinuato-dentata, supra saturate viridia, odoris nauseosi, narcotici, saporis summe ingrati et nauseosi.

Semina in capsulis ovoideis, aculeatis, quadrivalvis insidentia, nigra, reniformia, subrugosa, inodora, saporis nauseoso-amariusculi, subacris.

Folia æque ac semina in vasis clausis caute serventur.

STYRAX LIQUIDUS.

Liquidambaris styracifluæ L. (Monœcia Polyandria L.; fam. Balsamiferæ Endl.), arboris Americæ borealis, succus e trunco elicitus.

Balsamum nativum spissum, Terebinthinæ communis consistentiæ, e viridi fuscum, opacum, odoris grati ad Benzoen accedentis, saporis aromatici, subacris. In spiritu vini fervido fere omnino solvitur.

STYRAX SOLIDUS.

Storax. Styrax calamita.

Styracis officinalis L. (Decandria Monogynia L.; fam. Styraceæ Endl.), arboris Orientis et Europæ australis, resina ex cortice inciso stillans et aëre indurescens.

Prostat in glebis seu frustulis mole variis, compactis, badio-rufis, opacis, granulosis, micantibus, inter digitos mollescentibus, odoris grati benzoïni, saporis dulciusculi, resinosi, pungentis.

SUCCINUM.

Bitumen ad littora maris Baltici natans et præsertim in Borussia collectum.

Frustula obtusa, angulosa, sæpius rotunda, coloris lætius profundiusve flavi, ut plurimum pellucida, nitentia, fragilia, fracturæ conchoïdeæ, prunis imposita odorem gratum, peculiarem spargens. Pond. specif. 1,078.

Succinum destillatione acidum succinicum amittit.

SULPHAS BARYTÆ NATIVUS.

SULPHAS BARYTICUS.

Baryta sulphurica. Spathum ponderosum.

BaO,SO^3.

Lapis mineralis in frustis albis, lamellosis, ponderis specifici 4,47, in aqua nec non in acidis insolubilis. Eligantur frusta a sulphate calcis et ferro oxydato aliisque metallis libera.

SULPHAS CADMII.

SULPHAS CADMICUS.

Cadmium sulphuricum.

$CdO,SO^3 + 7HO$.

Prismata exhibet decolora saporis stiptici, metallici, in aëre fatiscentia.


Solutio hujus salis aquosa, acido sulphurico acidulata, acidi sulpho-

hydrici ope, penitus cum colore pulchre luteo præcipitatur. Sedimentum album, liquore ammoniæ ortum, ammonia ultra punctum saturationis affusa, solvitur.

SULPHAS CUPRI VENALIS.

SULPHAS CUPRICUS.

Cuprum sulphuricum. Vitriolum cupri. Vitriolum cœruleum.



CuO,SO^3+5HO.


Sal in crystallis cœruleis diaphanis, demum fatiscentibus, in aquæ frigidæ quatuor partibus, at non in spiritu vini, solubilis.

Sit zinco et præsertim ferro sulphurico non nimis inquinatus.

SULPHAS MAGNESIÆ.

SULPHAS MAGNESICUS.

Magnesia sulphurica. Sal anglicanum s. *Ebshamense.*
Sal amarum s. *Sedlitsense.*



MgO,SO^3+7HO.

Sal in crystallis parvis, prismaticis, splendentibus, albis, saporis e salso sat amari, refrigerantis.

Sulphas magnesiæ purus aëre vix fatiscit. Solutio aquosa valde diluta, solutione carbonatis sodæ facillime turbetur, sedimento in liquore chlorhydratis ammoniæ solubili. Nec acido oxalico, nec ferro-cyanureto potassii soluto præcipitetur. Solutione in aqua calida ac crystallisatione depurandus est.

Si cum sulphate sodæ adulteratus invenitur, solutio salis vitiati cum pulvere carbonatis barytæ vel calcis excedente agitata, liquorem præbet carbonatis sodæ præsentia alcalinum, Curcumam tingentem.

SULPHUR VENALE.

Hujus substantiæ characteres externi notissimi.

Sulphur in baculis. Sit pulchre citrinum et igni admotum sine residuo comburatur.

Flores Sulphuris. Referant pulverem siccum, subtilissimum, coloris supra dicti. Pro inquinationibus vide Sulphur depuratum.

SULPHURETUM ANTIMONII NIGRUM.

SULPHIDUM STIBIOSUM.

Acidum sulpho-stibiosum. Antimonium s. *Stibium sulphuratum nigrum.*
Antimonium crudum.



SbS^3.

Massam præbet crystallis metallici splendoris, acicularibus, nigro-

griseis, radiatim aut in fasciculos dispositis, compositam. Carboni ardenti inspersum, acidum sulphurosum emittit; si vero odorem alliaceum spargit, arsenicum continet.

Arsenico, cupro, plumbo ac ferro sæpius inficitur; quæ inquinationes facile deteguntur si, caloris ope, in acido chlorhydrico liquido excedente solvitur; quo in casu arsenici sulphuretum insolutum remanet. Cætera metalla in solutione reagentibus propriis deteguntur postquam antimonium majori ex parte, addita magna aquæ copia, præcipitatum sit.

SULPHURETUM ARSENICI FLAVUM.

SULPHIDUM ARSENIOSUM.

Acidum sulpharseniosum. Sesquisulphuretum arsenici. Arsenicum sulphuratum citrinum. Auripigmentum.



AsS^3.

Massam efficit amorpham, citrinam, partim aurantiacam nitidam, odore et sapore carentem. Calore avolat; liquore potassæ et ammoniæ causticæ solvitur. Flammæ tubi ferumentarii expositum, odorem Allii et acidi sulphurosi spargit.

Sulphuretum arseniosum artificiale arsenico albo semper inquinatur, unde vis magis venenosa, quam quæ arsenico sulphurato nativo competit.

SULPHURETUM ARSENICI RUBRUM.

SULPHIDUM HYPO-ARSENIOSUM.

Sulphuretum subarseniosum. Protosulphuretum arsenici. Acidum hyposulpharseniosum. Realgar.



AsS^2.

Adfertur in massis amorphis, aurantiaco aut fusco-rubris, nitentibus, inodoris ac insipidis. In cæteris characteribus arsenico sulphurato luteo convenit.

SULPHURETUM HYDRARGYRII RUBRUM.

SULPHURETUM HYDRARGYRICUM.

Cinnabaris.



HgS.

Massa obscure rubra, texturæ fibrosæ, pulverem rubro-coccineum præbens, igne tota volatilis.

Ne sulphureto arsenici, minio aut oxydo ferri rubro adulteratum sit.

TAMARINDI, Fructus.

Tamarindus indica L. (Monadelphia Triandria L.; fam. Cæsalpineæ). Arbor Asiæ occidentalis, Ægypti et Indiæ orientalis.

Pulpa leguminum e fusco nigricans, fibris lignosis ac seminibus subrotundis, compressis, duris, spadiceis, splendidis permixta, saporis acidi vinosi grati. Eligatur recens, tenax, spissa, saporis acrioris cum seminibus splendentibus. Semina e pulpa sub usu separanda sunt.

Cave ne pulpa Tamarindorum cupro sit inquinata, quod, notissimo modo, in solutione aquosa, lamina ferrea lucida facile dignoscitur.

TANACETUM, Herba, Flores.

Tanacetum vulgare L. (Syngenesia Polygamia superflua, L.; fam. Compositæ). Planta perennis, indigena, ad agros et ad fossas frequens.

Folia in caule erecto, tereti, striato, ramoso bipinnata, pinnis oblongis, incisis, serratis, læte viridibus, in superiori superficie punctatis, glabris, odoris fortis balsamici, subcamphoracei, saporis amari, aromatici.

Flores in corymbum terminalem congesti, compositi, semi-globosi, aurei, flosculis disci tubulosis quinquefidis, radii trifidis, odoris foliorum minus ingrati, saporis paris, magis aromatici.

TARAXACUM, Herba, Radix.

Leontodon taraxacum L.; *Taraxacum dens-leonis* Desf. (Syngenesia Polygamia æqualis L.; fam. Compositæ). Planta perennis in pratis et ad vias apud nos vulgaris.

Herba foliis radicalibus, in orbem congestis, elongatis, runcinatis, glabris, lobis acutis et dentatis, saporis herbacei, amari.

Radix, e plantis annosioribus colligenda, cylindrico-fusiformis, superne digitum crassa, elongata, sæpe multiceps, radicellis undique obsessa, recens extus e flavo fusca, intus alba, carnosa, lactescens, odoris fere nullius, saporis e dulci amaricantis.

BI-TARTRAS POTASSÆ.

BI-TARTRAS KALICUS.

Cremor tartari.

$KO,HO,C^8H^4O^{10}$.

Occurrit plerumque in crystallis imperfecte formatis, duris, fragilibus, albis, saporis acerbo-acidi. Cave ne cupro sit inquinatum.

TILIA, Flores cum bracteis.

Tilia Europæa L. (Polyandria Monogynia L.; fam. Tiliaceæ). Arbor indigena.

Flores, bracteæ solitariæ sublanceolatæ inhærentes, parvi, ex albido viridescentes, pentapetali, recentes odoris suavis, leniter aromatici, siccati prope inodori, saporis debilis, submucilaginosi. Colligantur una cum bracteis et in vitris clausis serventur.

THYMUS, Herba florens.

Thymus vulgaris L. (Didynamia Gymnospermia L.; fam. Labiatæ). Planta perennis subfrutescens Europæ meridionalis, in hortis apud nos culta.

Folia in caule erecto, ramoso, tenui, fere cylindrico opposita, exigua, brevissime petiolata, ovato-oblonga, margine revoluta, glabra, subtus albido-grisea, utrinque punctata, floribus verticillatis, spicatis, albis aut ex albido purpureis, saporis odorisque aromatici, balsamici, grati.

TIGLIUM, Semen, Oleum.

Croton tiglium L. (Monœcia polyandria L.; fam. Euphorbiaceæ). Frutex Indiæ orientalis, inprimis Malabariæ, insularum Moluccarum et Javæ.

Semina ovoidea, uno latere magis convexa, lævia, sub cortice fragili nucleum pingue, griseo-flavescens, bipartibile includentia, saporis acerrimi, caustici, nauseosi, faucibus diu adhærentis.

Oleum e seminibus decorticatis et expressione in India orientali paratum, pingue, flavescens vel fuscum, sapore acerrimo.

TORMENTILLA, Radix.

Tormentilla erecta L.; *Potentilla tormentilla* Schrank. (Icosandria Monogynia L.; fam. Rosaceæ). Planta perennis in Europæ borealis et temperatæ locis aridis crescens.

Radix teres, superne 2 ad 3 centim. crassa, 6 circiter centim. longa, tuberosa, nodosa, fibris copiosis, longis, rigidis obsessa, externe rubrofusca, interne ex brunneo rubra vel rubella, solida, cellulosa, inodora, saporis valde adstringentis.

TRIFOLIUM FIBRINUM, Herba.

Menyanthes trifoliata L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Gentianeæ). Planta paludosa, perennis, indigena.

Herba, caule repente, articulato, ramoso, foliis alternis, longe petiolatis, basi vaginantibus, ternatis, foliolis ovatis, glabris, obtusis, margine undulatis, læte viridibus, odoris fere nullius, saporis peramari.

TUTIA s. TUTHIA.

Oxydum zinci cinereum.

In crustis prostat concavis vel convolutis, fusco-cinereis, fragilibus, insipidis ac inodoris.

UVA URSI, Folia.

Arbutus uva Ursi L.; *Arctostaphylos uva Ursi* Kunth. (Decandria Monogynia L.; fam. Ericineæ). Frutex in locis arenosis Germaniæ et Europeæ borealis crescens.

Folia parva, obovata, breve petiolata, duriuscula, basi angustiora, integerrima, glabra, ut plurimum margine subrevoluta, supra saturate viridia, subtus pallidiora et venuloso-subrugosa, odoris debilis, saporis amari, adstringentis.

Ne confundantur cum foliis Vaccinii vitis Ideæ, margine parum revolutis et pagina inferiore punctis fuscis aut nigricantibus, notatis.

VALERIANA, Radix.

Valeriana officinalis L. (Triandria Monogynia L.; fam. Valerianeæ). Planta perennis, indigena.

Radix (Rhizoma) parva, brevis, subrotunda vel oblonga, tuberculata, undique radicellis obsita capillari-fibrillosis, tenacibus, extus e fusco cinereis, intus albidis, subcarnosis, odoris graveolentis, subnauseosi, saporis acris, amari. Colligenda est in locis montosis siccis, et siccata in vasis clausis servetur.

VANILLA, Fructus.

Epidendron vanilla L.; *Vanilla aromatica* Schw. (Gynandria Monogynia L.; fam. Orchideæ). Planta parasitica scandens Americæ meridionalis, præcipue in Mexico culta.

Capsulæ siliquiformes, 18 ad 20 centim. longæ, calami scriptorii majoris crassæ, lineares, versus pedunculum et apicem attenuatæ, longitudinaliter flexuoso-striatæ et sulcatæ, tactu pingues, splendoris oleosi, coloris ex atro fusci, intus pulpam pinguem, rufescentem ac semina minima, subrotunda, nigra, splendida, continentes, odoris fragrantissimi, benzoïni, saporis grate aromatici.

Eligendæ sunt siliquæ crassiusculæ, pingues, crystallulis acicularibus inspersæ, fragrantissimæ. Rejiciantur mucidæ aut saporis acidi.

Serventur in vitris obturatis.

VERBASCUM, Folia, Flores.

Verbascum thapsus L.; *Verbascum thapsiforme* Schrad. (Pentandria Monogynia L.; fam. Scrophularineæ). Planta biennis, indigena, in locis incultis frequens.

Herba, caule simplici, erecto, lanuginoso, foliis alternis, decurrentibus, magnis, ovato-lanceolatis, obsolete dentatis, mollibus, ex griseo viridibus, utrinque tomentosis, inferioribus petiolatis, saporis mucilaginosi.

Flores, racemum magnum, terminalem, plus minus densum formantes, corollis rotatis, monophyllis, quinquefidis, luteis, odoris rosacei debilis, saporis mucilaginosi, visciduli. Colligantur cœlo sereno et siccati serventur in vasis clausis.

VERONICA BECCABUNGA, Herba recens.

Veronica beccabunga L. (Diandria Monogynia L.; fam. Scrophularineæ). Planta perennis, indigena, ad fossas et in locis udis obvia.

Herba in caule herbaceo, terete, ramoso, procumbente, folia præbens opposita, plana, oblongo-ovata, obtuse crenata, glabra, nitentia, carnosa, mollia; flores spicati, racemosi, pedicellati, violacei. Tota planta vix odorata, saporis amaricantis, adstringentis.

VERONICA OFFICINALIS, Herba florens.

Veronica officinalis L. (Diandria Monogynia L.; fam. Scrophularineæ). Planta perennis, indigena, ad vias et in pascuis frequens.

Herba, caule tereti, subsimplici, geniculato, pubescente, inferne nonnunquam radicante; foliis ad genicula oppositis, ovatis, obtusis, basi attenuatis, serratis, mollibus, pubescentibus, dilute viridibus; floribus spicatis, pedunculatis, corolla rotata, cœrulea, interdum rutila aut albida, venis obscurioribus percursa. Planta recens odoris balsamici debilis, saporis amaricantis, subadstringentis.

VIOLA ODORATA, Flores.

Viola odorata L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Violarieæ). Planta perennis silvatica, in hortis frequenter culta.

Flores in pedunculis radicalibus obovati, corollis quinquepetalis, irregularibus, petalis intense cœruleis, odoris proprii, gratissimi, saporis mucilaginei, subamaricantis.

Colligantur ineunte vere et siccati in vasis clausis, loco obscuro, serventur.

VIOLA TRICOLOR, Herba florens.

Viola tricolor L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Violarieæ). Planta annua et biennis in arvis et in hortis crescens.

Folia in caule triquetro diffuso, petiolata, ovato-oblonga, obtusa, inciso-crenata, stipulis laciniatis. Flores quinquepetali, corolla e violaceo, albo flavoque tricolore. Tota planta odoris herbacei, saporis mucilaginosi, subamari.

VISCUS s. VISCUM ALBUM.

Viscum Quercinum.

Viscum album L. (Diœcia Tetrandria L.; fam. Lorantheæ). Fruticulus sempervirens parasiticus Fagi, Quercus aliarumque arborum.

Caulis e basi ramosus, dichotomus, ramulis articulatis, subnodosis, epidermide e viridi flavescente, una cum foliis oppositis, sessilibus, oblongis, obtusis, integerrimis, carnosis, nitidis, odoris debilis proprii, saporis glutinosi, fatui, subamaricantis. Flores terminales, sessiles, subterni ex flavo viridescentes.

Folia ante anthesin colligenda, in vitro clauso serventur.

WINTERA, Cortex.

Wintera aromatica Murr.; *Drymis Winteri* Forst. (Polyandria Polygynia L.; fam. Magnoliaceæ). Arbor freti Magellanici et insularum vicinarum.

Cortex in frustis advectus convolutis, tubulosis, 14 ad 18 centim. longis valde crassis, compactis, duris, extus cinereis vel e rubro cinereis, tum glabris, tum rugosis, intus fibrosis, coloris cinnamomei vel nigricantis, odoris, sub tritu, grati, caryophyllacei, saporis aromatici, urentis, diu linguæ adhærentis.

Cortex Winteranus a cortice Canellæ albæ sua forma ac odore minus aromatico et amaro, satis discernitur.

ZEDOARIA, Radix.

Curcuma Zedoaria Rosc.; *Amomum Zerumbet* Roxb. (Monandria Monogynia L.; fam. Scitamineæ). Planta perennis Indiæ orientalis.

Radix adlata jam in tuberibus subglobosis vel segmentis hemisphæricis, jam in frustis oblongis aut disciformibus, 3 ad 6 centim. longis, hinc planis, inde convexis, rugosis; ponderosa, extus dilute fusca, intus ex flavo rubella, cum punctis resinosis, odoris fragrantis, subcamphoracei, saporis acris, amaricantis.

ZINCUM.

Metallum ex albido cærulescens, subtenax, fracturæ lamellosæ. Ignitum

sub aëris accessu flammam lucidissimam pallide virescentem concipit et in oxydum album mutatur, partim sub floccorum niveorum forma avolans.

Zincum purum in acido nitrico diluto penitus solvitur. Hæc solutio, ex affuso carbonate sodæ liquido, præcipitatum edat album; ne vero liquore ammonii caustici cærulescat, neve sedimentum ex addito sulphate sodæ deponat. Arsenicum Zincum inquinans methodo Marshiana facile detegitur.

ZINGIBER, Radix.

Zingiber officinale Rosc.; *Amomum zingiber* L. (Monandria Monogynia L.; fam. Scitamineæ). Planta Indiæ orientalis et Africæ occidentalis.

Radix venalis, epidermide resecta, in segmentis prostat 4 ad 5 centim. longis, complanatis, ponderosis, tuberoso-nodosis, extus flavescentibus vel pallide cinereis, intus ex rubro aut albido flavis, odoris grate camphoracei, saporis aromatici, fervidi.

COUSSO s. KOUSSO, Flores.

Brayera anthelmintica Kunth.; *Hagenia Abyssinica* Lam. (Dodecandria Monogynia L.; fam. Rosaceæ) Arbor Abyssiniæ, *Cousso* seu *Cabotz* vel *Cotz* dictus.

Planta dioïca; floribus paniculatis; pedunculis villosis, bracteatis; bracteolis subrotundis, villosis, flori approximatis, calycis tubo villoso, limbo pentaphyllo, membranaceo, lutescenti, corolla minore purpurea.

Flores siccati sunt coloris luteo-cinerei, odoris debilis, odorem Sambuci referentis, saporis amari, tactu subpingues.

Calore non siccentur quum rediguntur in pulverem.

MATRICARIA, Herba.

Matricaria Parthenium L.; *Pyrethrum Parthenium* Dec. (Syngenesia Polygamia superflua L. fam. Compositæ). Planta perennis Germaniæ, in hortis sæpe culta.

Herba subflorida, glabra, foliis petiolatis, compositis, planis, foliolis ovatis, incisis, floribus radiatis, albis, corymbosis.

PARS SECUNDA.

PRÆPARATA PHARMACEUTICA.

PARS SECUNDA.

PRÆPARATA PHARMACEUTICA.

ACETAS AMMONIÆ LIQUIDUS.

ACETAS AMMONICUS.

Ammonium aceticum liquidum. Spiritus s. liquor Mindereri.



$$NH^3,HO,C^4H^3O^3 + Aq. = NH^4O,\bar{A}c + Aq.$$

R. Acidi acetici diluti quantum libet.
Carbonatis ammoniæ concreti quantum satis.


Acido calefacto in vase vitreo adde per vices carbonatem ammoniæ ad perfectam saturationem. Dein aqua destillata, si opus est, addatur ut densitas liquoris refrigerati sit 1,029 (4°). Serva in lagena vitrea bene clausa.

Liquor neuter, coloris expers, limpidus, ex toto volatilis, saporis subpungentis salini. Liquorem rejice empyreumaticum, odore ac sapore dignoscendum. Nec nitrate argenti, nec acido sulpho-hydrico, nec chlorureto baryi, nec oxalate ammoniæ præcipitetur.

ACETAS CUPRI.

ACETAS CUPRICUS.

Cuprum aceticum. Viride aeris crystallisatum.



$$CuO,C^4H^3O^3 + HO = CuO,\bar{A}c + HO.$$

R. Subacetatis cupri quantum libet.
Acidi acetici diluti quantum satis.


Solve viride aeris in acido acetico diluto et calefacto, ac evaporatione debita secerne in crystallos ex solutione colata.

Crystalli prismaticæ, e cæruleo virides, saporis acerbi metallici, in aëre sensim fatiscentes, in aquæ frigidæ ac in alcoholis fervidi partibus quatuordecim, nec non in aquæ bullientis partibus quinque solubiles; cupri et acidi acetici reactiones ostendunt. Caute serventur.

ACETAS PROTOXYDI HYDRARGYRI.

ACETAS HYDRARGYROSUS.

Hydrargyrum aceticum. Mercurius acetatus s. aceticus.



$$Hg^2O,C^4H^3O^3 = Hg^2O,\bar{A}c.$$

R.	Protonitratis hydrargyri crystallisati. . . .	part.	8
	Acidi nitrici puri 35°.	»	1
	Aquæ destillatæ.	»	40
	Acetatis sodæ crystallisati	»	14


Nitrati hydrargyri in pulverem redacto adde acidum nitricum ac dein aquam, usque dum solutio plane clara fiat. Solvatur quoque acetas sodæ in aquæ parva quantitate. Huic solutioni per vices infunde solutionem hydrargyrosam quoad præcipitatum album efficiatur, sedulo cavens ne sal hydrargyrosum in mixtione excedat. Sedimentum, subinde agitatum, stet per aliquot horas; tunc in filtro colligatur, aqua destillata frigida abluatur et charta bibula involutum exsiccetur a calore et a luce seclusum. Siccatum servetur in loco obscuro vel in vase luci impervio.

Sal albissimus splendoris sericei, ex toto volatilis, in acido acetico diluto maxime solubilis, in aqua frigida autem fere insolubilis. Lumini expositus nigrescit et decomponitur. Acido sulphurico affuso vapores acidi acetici exhalat. Constat ex protoxydi hydrargyri partibus 80,36 et 19,64 partibus acidi acetici.

ACETAS MORPHINÆ.

ACETAS MORPHICUS.

Morphium aceticum.



$$C^{34}H^{18}NO^6,HO,C^4H^3O^3 = \overset{+}{M}o,HO,\bar{A}c.$$

R.	Morphinæ puræ.	part.	2
	Acidi acetici concentrati.	»	1
	Aquæ destillatæ.	»	1

Calefiant in patina porcellanea vapori aquæ bullientis exposita, donec morphina soluta sit, reactione acida tamen in liquore salino prævalente. Filtrata solutio ad consistentiam syrupi igne leni evaporetur. Liquorem dein ad calorem 60° refrigeratum, cum spatula argentea vel vitrea agita ad perfectam siccitatem usque; massa sicca et adhuc calida leviter trituretur donec in pulverem tenuissimum redacta sit, dein in lagenam vitream siccatam bene obturandam ingeratur.


Est pulvis albidus, saporis peramari, odoris acetici, aqua ex toto solubilis; in spiritu vini quoque solvitur. Reactiones exhibet morphinæ et acidi acetici. Sit a narcotina liber; quo in casu, solutione potassæ causticæ calefacta penitus solvitur.

Præparatum, caloris majoris actione acido acetico ex parte privatum, in aqua non ex toto solubile est; sed acido acetico admixto, solutione et evaporatione iterata, corrigitur.

ACETAS PLUMBI DEPURATUS.

ACETAS PLUMBICUS.

Plumbum aceticum. Sal Saturni.



$$PbO, C^4H^3O^3 + 3HO = PbO,\bar{A}c + 3HO.$$

R.	Acetatis plumbi venalis.	part.	10
	Aquæ destillatæ	»	20
	Acidi acetici diluti.	»	1

Solve calide, liquorem filtra et in crystallos redige, quæ siccatæ in vase bene clauso serventur.


Crystalli albæ, pellucidæ, saporis dulcis, subacerbi, in aquæ frigidæ nec non in alcoholis (90° C.) duabus partibus plane solubiles. Solutio salis aquosa, post plenariam plumbi præcipitationem ope aquæ hydrosulphuratæ aut acidi sulphurici diluti, filtrata, nec carbonate potassæ præcipitetur, nec residuum quoddam evaporatione relinquat.

Acetas plumbi aëri expositus, acido carbonico reagente, acidum aceticum sensim exhalat tuncque plus minus insolubilis fit.

SUB-ACETAS PLUMBI LIQUIDUS.

ACETAS TRIPLUMBICUS SOLUTUS.

Acetum Saturninum. Liquor plumbi subacetici. Liquor plumbi hydrico-acetici. Extractum Saturni.



$$3PbO,C^4H^3O^3 + Aq. = 3PbO,\bar{A}c + Aq.$$

R.	Acetatis plumbi depurati.	part.	2
	Protoxydi plumbi subtilissime pulverati. . . .	»	1
	Aquæ destillatæ.	»	7


Acetati et protoxydo plumbi, triturationis ope intime mixtis et in lagenam vitream immissis, aquam affunde. Tunc, vase obturato, sepone interdum movendo. Quum pulveris color ruber evanuerit, filtra et serva in lagenis bene clausis.

Sit incolor, limpidus, ponderis specifici 1,24 (28°). Chartæ Lacmi acido rubefactæ cæruleum colorem reddat. Oxydo plumbi, ope sulphatis sodæ, præcipitato, liquor filtratus, affusa ammonia liquida, colorem cæruleum nec induat, nec cyanureto potassico præcipitatum fuscum demittat.

ACETAS POTASSÆ.

ACETAS KALICUS.

Terra foliata tartari s. *vegetabilis. Kali aceticum.*



$KO,C^4H^3O^3 = KO,\overline{A}c.$

R. Acidi acetici diluti quantum libet.
Carbonatis potassæ depurati quantum satis.


Acido acetico in balneo vaporis calefacto carbonas potassæ addatur, donec acidum fere neutrum sit. Tunc liquor filtretur et in vase argenteo seu porcellaneo, igne leni, sub continua agitatione ad siccitatem usque evaporetur. Massa salina sicca et adhuc calida in lagenam vitream calefactam probe claudendam ingeratur.

Pulvis albus, levis, in aëre humido deliquescens, in aquæ partibus duabus et in alcohole solubilis. Sit alcalinæ reactionis immunis et odoris empyreumatici expers. Aqua solutus nec acido sulpho-hydrico nigrescat, nec chlorureto barytico, nec solutione diluta nitratis argentici dejiciatur.

ACETAS SODÆ.

ACETAS NATRICUS.

Natrum aceticum. Terra foliata mineralis.



$NaO,C^4H^3O^3+6HO = NaO,\overline{A}c + 6HO.$

R. Acidi acetici diluti quantum libet.
Carbonatis sodæ quantum satis.

Carbonatem sodæ in acido acetico calefacto ad saturationem usque gradatim solve. Liquor colatus in vase stanneo vel porcellaneo evaporetur ad pelliculam, et seponatur ut fiant crystalli, quæ siccatæ in vase clauso serventur.

Salis partes centum aquæ crystallisationis partes 39,49 continent.

Crystalli sunt decolores, prismaticæ, tribus aquæ frigidæ partibus et viginti quatuor alcoholis solubiles. Aqua solutæ, nec acido sulpho-hydrico, nec solutione concentrata acidi tartrici sedimentum edant.

ACETAS SODÆ ANHYDRUS.



$NaO,\overline{A}c.$

R. Acetatis sodæ puri quantum libet.

Sal, in vase aperto, lato et depresso, igne leni, ne calore majori decomponatur, et semper agitando, calefiat, donec aquam demiserit. Servetur in vase vitreo sicco et bene clauso.

Pulvis albus, neuter, absque ulla forma crystallina.

ACETAS STRYCHNINÆ.

ACETAS STRYCHNICUS.

Strychnium aceticum.



$$C^{42}H^{22}N^2O^4,HO,C^4H^3O^3=\overset{+}{St},HO,\bar{A}c.$$

R. Strychninæ quantum libet,
Acidi acetici diluti quantum satis.


Strychnina acido paululum excedente saturetur, et liquor leni calore ad siccum evaporetur.

Sal albus, amarissimus, reactiones strychnii et acidi acetici exhibens, in aqua facillime solubilis.

ACETAS ZINCI.

ACETAS ZINCICUS.

Zincum aceticum.



$$ZnO,C^4H^3O^3=ZnO,\bar{A}c.$$

R. Oxydi zinci,
Acidi acetici concentrati,
Aquæ destillatæ, singulorum partes æquales.

Oxydum zinci in acido aqua mixto solve, donec charta cærulea liquori immersa non amplius rubescat, curans ut excedat oxydum. Liquorem filtra et calore concentratum ad crystallisandum sepone.

Crystalli albæ, lamellosæ, saporis styptici, in aëre immutabiles, aqua maxime solubiles. Solutæ autem, aqua hydrosulphurata sicut et ferro-cyanureto potassii nonnisi præcipitatum album gignant.

ACETUM AROMATICUM.

Loco *Aceti antiseptici.*

R. Acidi acetici diluti.	part.	859
— — concentrati.	»	100
Aquæ Coloniensis.	»	40
Camphoræ.	»	1
		1000

Camphoram solve in aqua Coloniensi et misce cum acidis, sæpius agitando.

ACETUM CAMPHORÆ.

R.	Camphoræ	part.	12
	Gummi arabici	»	25
	Acidi acetici diluti	»	965
			1000

Tere camphoram cum gummi et aliquantulum alcoholis, tunc paulatim adde acetum sub continua agitatione.

Paretur ex tempore.

ACETUM SCILLÆ.

Acetum squilliticum s. *squillinum*.

R.	Radicis Scillæ minutim scissæ.	part.	85
	Alcoholis 25° (84° C.)	»	85
	Acidi acetici diluti quantum sufficit.		

Scilla cum alcohole et parte æquali acidi acetici in apparatu depulsorio per triduum maceretur, dein addito per vices acido acetico, lixiviatione exhauriatur, ut obtineantur aceti scillæ limpidi partes 1000.

Eodem modo parentur:

ACETUM Colchici cum bulbis siccatis.
— Digitalis cum foliis.


ACIDUM ACETICUM AROMATICUM.

R.	Acidi acetici concentrati	part.	720
	Olei volatilis Caryophyllorum	»	90
	— — Lavandulæ	»	60
	— — Citri	»	60
	— — Bergamottæ	»	30
	— — Thymi	»	30
	— — Cinnamomi	»	10
			1000

Misce in vase probe clauso, sæpius agitando, et post aliquot dies filtra.

ACIDUM ACETICUM CONCENTRATUM.

Acetum radicale. Acetum glaciale.



$HO,C^4H^3O^3 = HO,\bar{A}c.$

R	Acetatis sodæ anhydri et pulverati. . . .	part.	1
	Acidi sulphurici 66°.	»	1

Acetatem sodæ immitte in retortam vitream sat amplam ut quarta tantum pars sale impleatur, et applicato excipulo idoneo juncturisque probe clausis, adde repetitis vicibus acidum sulphuricum concentratum. Omni acido immisso ac excipulo bene refrigerato, fiat destillatio leni primum, dein aucto igne, donec guttæ ad caudam retortæ cessent massaque tota liquefacta sit. Quo facto, retortam caute ab igne remove, et sal fusum emitte antequam refrigeratione concrescat.

Si destillatum acido sulphuroso vel sulphurico inquinatur aut empyreuma redolet, cum decima circiter parte acetatis sodæ siccati et mangani oxydati pulverati, pari pondere mixtorum, rectificetur post præviam macerationem per aliquot horas. Servetur in vase bene obturato.

Sit limpidum, odoris penetrantis, nec empyreumatici, nec sulphurosi (quod dilutione acidi cum aqua dignoscitur), ponderis specifici 1,065 (9°). Liquore nitratis barytæ et aqua hydrosulphurata ne turbetur. Acidum chlorhydricum, si immixtum, ope nitratis argenti, in acido diluti, præcipitato albo in acido nitrico insolubili detegitur. Tres carbonatis sodæ anhydri partes quatuor acidi acetici partibus saturentur.

ACIDUM ACETICUM DILUTUM.

Acetum destillatum.

R. Aceti bonæ notæ quantum velis.

Destilla leni igne e retorta vitrea; liquorem prius prodeuntem separa, ac sequentem, quamdiu ab empyreumate liber ac incolor prostat, collige. Destillatum sit ponderis specifici 1,012, et tantæ aciditatis ut viginti partes una carbonatis sodæ anhydri parte saturentur. In vitro bene obturato serva.

Sit hyalinum, ab empyreumate, acido sulphurico et sulphuroso liberum, calore ex toto avolans. Alcoholis fortioris pari volumine dilutum ne turbetur.

Nota. Acidum aceticum dilutum parari quoque potest cum acidi acetici concentrati parte 1 in aquæ destillatæ partibus 14 diluta.

ACIDUM BENZOICUM MEDICINALE.

Flores Benzoes. Sal essentiale Benzoes.

R. Benzoes pulveratæ quantum velis.

Inspergatur æquabiliter in fundo plano ollæ vel sartaginis figulinæ haud profundæ. Supra sartaginis orificium chartam bibulam laxioris texturæ expande ita ut ejus margines sartagini mucilaginis ope agglutinentur. Tunc superimpone conum elongatum e charta densa confectum, in apice foramine parvulo pertusum, et ad sartaginis parietes probe alligandum. Sartaginem tali modo instructam in balneum arenæ impone et per quatuor

ad sex horas igni leni (120°—150° C.) exponatur. Post refrigerationem, collige crystallos quæ serventur in vase bene clauso.

Sint crystalli albæ, subpellucidæ, splendoris sericei, aciculares vel floccosæ, odoris grati benzoini, saporis dulciusculi dein acidulo-acris, pungentis; in aqua frigida parum, in fervida autem valde, ut in alcohole, solubiles. Igni expositæ plane in auras avolent, nec carbonem residuum relinquant.

Ex 100 partibus Benzoes, partes 4 acidi benzoici extrahi possunt.

Nota. Minori copia (200—400 gramm.) semper adhibeatur Benzoe ne, calore diutius protracto, acidum benzoicum empyreumate imbuatur.

ACIDUM BORICUM MEDICINALE.

Acidum boracicum. Sal sedativum Hombergii.

R. Boratis sodæ. . . . . part. 3

Solve in

Aquæ bullientis. . . . . » 12

solutioni fervidæ et colatæ instilletur sensim sub continua agitatione

Acidi sulphurici concentrati pars una.

Sepone liquorem ut formentur crystalli. Lixivium residuum evaporetur ad pelliculam, et refrigeratione separentur crystalli, cum prioribus, aqua frigida abluendæ et siccandæ. Serventur in vasis clausis.

Sint crystalli albæ, sericeo nitore insignes, subpellucidæ, saporis vix ullius, in partibus aquæ triginta nec non in alcohole fortiori solubiles, hujusque flammam colore viridi tingentes. Solutio aquosa liquore chlorureti baryi vix turbetur.

ACIDUM CHLORHYDRICUM.

CHLORIDUM HYDRICUM.

Acidum hydrochloricum. Acidum muriaticum. Spiritus salis fumans.

$HCl + Aq.$

R. Chlorureti sodii depurati et fusi. . . . . part. 3
Acidi sulphurici 66° . . . . » 3
Aquæ destillatæ . . . . » 1

Chloruretum ingere in retortam tubo in formam litteræ S curvato instructam et sat amplam ut ad dimidium tantum miscela destillanda repleatur. Retorta secundum leges artis conjungatur cum tribus lagenis Woulfianis, quarum prima parvam aquæ quantitatem contineat ad gas acidum eluendum, alteri vix ultra dimidium replendæ immittantur aquæ partes duæ, et tertia unam tantum partem aquæ contineat. Conjungendæ autem sunt lagenæ eo modo ut tubi, per quos gas in aquam defertur, aliquot tantum millimetra in eam descendant.

Quo facto, in retortam per tubum affunde gradatim acidum sulphuricum prius aqua dilutum, commissuris lagenarum et retortæ probe clausis et lagenis durante destillatione refrigeratis. Eruptione gas acidi fere peracta, retorta calefiat, igne initio leni, dein fortiori et sensim aucto, donec bullulæ gas acidi in prima lagena non amplius appareant. Liquor primæ lagenæ rejiciatur; liquidum autem secundæ et tertiæ lagenæ, acidum chlorhydricum purum constituens, in vasis optime clausis asservetur.

Parari quoque potest acidum chlorhydricum purum ex acido venali 22°, quod, in retorta vitrea cum apparatu Woulfiano conjuncta, destillationi, blando calore temperaturam 100° C. haud excedente, submittitur. In prima lagena Woulfiana solutionem sulphatis ferrosi ad gas acidum abluendum immittere conducit, qua chlorum, si adsit, retineatur. Acido autem venali, quod non raro evenit, si acidum sulphurosum aut nitrosum, vel si arsenicum inest, ante destillationem addatur sulpho-hydras sodæ solutus, ea tantum quantitate ut odorem hydrogenii sulphurati leviter spargat. Post macerationem per biduum, admisceatur pauxillum bioxydi mangani, ut hydrogenium sulphuratum excedens chloro evoluto decomponatur; dein liquor decapulatus destillet donec tertia fere pars vaporatione consumpta sit. Humor e lagenis extractus, excepta prima, acidum chlorhydricum purum præbet. Partes 100 liquidi in retorta residui, partes circiter 20 acidi chlorhydrici adhuc continent.

Sit limpidum, coloris expers, vapores acidos pungentes edens, calore ex toto volatile, ponderis specifici 1,18 (22°). Aqua destillata dilutum, neque addito chlorureto baryi soluto, neque sulpho-hydrate ammonico turbetur; nec cum liquore ferro-cyanureti potassii primis momentis cærulescat, nec cum aqua hydrosulphurata lactescat.

ACIDUM CHLORHYDRICUM DILUTUM.

R. Acidi chlorhydrici puri . . . . part. 1
Aquæ destillatæ . . . . » 3


Misce.

Sit ponderis specifici 1,030.

Nota. Si Medicus acidum chlorhydricum sine designatione præscripserit, acidum dilutum dabit Pharmacopola.

ACIDUM CITRICUM.

Acidum citri. Acidum limonum.



$$3HO,C^{12}H^{5}O^{11}+2HO = 3HO,\overline{Ci} + 2HO.$$

R. Succi citri recentis et albumine clarificati quantum libet.
Cretæ albæ præparatæ,
Acidi sulphurici 66°, utriusque quantum satis.

Succo citri calefacto adde per vices cretam ad saturationem. Sedimento aqua fervida abluto et in pultem redacto infunde, continuo agitans, acidi sulphurici antea sextuplo aquæ destillatæ diluti par pondus cretæ adhibitæ. Tunc digere, interdum quassando, per plures dies, donec parva liquoris quantitas filtrata cum chlorureto baryi præcipitatum edat in acido nitrico fere totum solubile. Mixta colentur cum expressione; edulcoretur residuum aqua frigida; evaporetur liquor clarus leni calore usque dum pellicula crystallina appareat; sulphas calcis depositus separetur, fluidumque seponatur loco frigido ad crystallisandum. Crystallos post quatuor vel quinque dies demissas separa et lixivium evapora, quamdiu oriuntur refrigeratione crystalli. Quæ, si coloratæ vel flavescentes crystallisatione pluries repetita depurentur.

Acidum citricum purum prismata exhibet recte rhombica, sæpius octaëdro rhombico conjuncta, incolora et pellucida, saporis fortis sed grate acidi, aëre immutabilia et in alcohole solubilia. Solvitur in aquæ frigidæ parte æquali et fervidæ parte dimidia; quæ solutio nec aqua hydrosulphurata, nec liquore potassico mutetur; sedimentum autem acetate plumbi productum in acido nitrico sit ex toto solubile. Eadem solutio aqua calcis subexcedente commixta, non in temperatura ordinaria præcipitatur, nisi acidum tartaricum contineat, sed calefacta, sedimentum album præbet. Calori fortiori expositum resolvitur sine ullo residuo.

Nota. Acidum citricum venale sæpius sat purum pro usu medico occurrit. Si vero impurum prostat, solutione in aqua et repetita crystallisatione depuretur.

Acidum citricum in decupla aquæ quantitate solutum loco succi citri adhiberi potest.

ACIDUM CYANHYDRICUM.

CYANIDUM HYDRICUM.

Acidum hydrocyanicum s. *hydrocyanatum*. *Acidum borussicum*.



$HC^2N + Aq = HCy + Aq.$

R.	Ferro-cyanureti potassii.	part.	146
	Acidi sulphurici concentrati	»	146
	Aquæ destillatæ	»	336
	Alcoholis 28° (89° C.)	»	800


Ferro-cyanuretum in frustula tenuia diffractum immitte in retortam vitream amplitudinis triplicis substantiarum volumine; huic infunde acidum sulphuricum aqua et spiritu vini commixtum ac probe refrigeratum. Excipulo tubulato retortæ conjuncto adapta tubum vitreum Welterianum cujus brachium verticale altius descendat in laguncularn cui antea immissæ sunt 100 partes alcoholis 28°.

Tum retorta balneo aquæ imposita, juncturis probe obturatis et excipulo

aqua frigida immerso, fiat destillatio quamdiu gutta transit. Liquoribus excipuli ac lagunculæ commixtis adde alcoholis 28° tantum ut pondus totius fluidi sit partium 1000, vel potius ut mille partes 25 partes acidi cyanhydrici anhydri contineant, aut cum nitrate argenti partes 125 cyanureti argenti siccati producant. Tum in lagunculas effunde, quæ bene obturatæ, loco obscuro ac frigido, cautissime serventur.

Sit limpidum, coloris expers, amygdalas amaras valde redolens; affusa aqua hydrosulphurata non mutetur, et aqua destillata dilutum chlorureto baryi non aut vix turbetur.

ACIDUM LACTICUM.



$$HO,C^6H^5O^5+Aq.=HO,\dot{\bar{L}}+Aq.$$

R. Lactis . . . . part. 20
Sacchari lactis . . . . » 1

Saccharum lactis in aquæ tepidæ minima quantitate solutum lacti admisce, et per plures dies, calore circiter 20° C., in vase figulino orificii amplioris sed haud profundo, aëri libero expone, ut lac acescat. Quo facto, liquorem bicarbonate sodæ satura; post viginti quatuor aut triginta sex horas, lac acidum denuo factum, iterum satura, pergeque eodem modo donec saccharum lactis in acidum lacticum omnino conversum sit, scilicet donec de novo saturatus liquor, aëri calido expositus, post triduum vix rursus acescat. Tum vero, ut caseum in coagulum cogatur, liquidum ebullitioni submitte, filtra, ac in syrupi spissitudinem, leni calore et sub finem ex balneo aquæ bullientis, evapora. Residuum refrigeratum dilue in lagena cum duplici volumine alcoholis 28° (89° C.) ut lactas sodæ solvatur; agita sæpius et sepone; dein liquorem limpidum defunde et cola. Solutioni colatæ adde acidi sulphurici concentrati quantitatem congruam, videlicet bicarbonatis sodæ adhibiti ponderis partem circiter dimidiam, qua lactas sodæ decomponitur ac præcipitatum sulphatis sodæ efficitur. Acidi lactici solutionem alcoholicam inde exortam filtra, et, maxima parte alcoholis destillatione recuperata, liquorem adhuc calidum ope cretæ satura, ac quadrupla aquæ quantitate dilutum ebullitioni submitte; bullientem filtra, et percalido, affunde paulatim acidum oxalicum solutum, donec nulla amplius præcipitatio fiat. Liquidum acidum ab oxalate calcis, tum decanthatione, tum filtratione separatum, ad syrupi spissitudinem, calore 100° C., evapora et loco sicco in vase probe clauso serva.

Sit coloris et odoris expers, saporis admodum acidi. Maxime concentratum syrupi crassitudinem præbet; calore partim decomponitur ac sublimatum album producit, relicta parte carbonacea. Acidum lacticum ammonio caustico neutralisatum, nec oxalate potassæ, nec chlorureto barytico præcipitetur.

ACIDUM NITRICUM 40°.

Acidum azoticum. Spiritus nitri fumans.



$HO,NO^5+Aq.$

R. Acidi nitrici venalis 40° quantum libet,
Nitratis argenti in acido nitrico soluti quantum satis.

Acido adde guttatim solutionem nitratis argenti quamdiu præcipitatum album formatur, et sepone per aliquot dies; tum liquorem limpidum defunde in retortam vitream sat amplam cui adaptetur excipulum aqua frigefaciendum. Instituatur destillatio igne leni, donec decima tantum pars acidi in retorta maneat.

Parari quoque potest acidum nitricum concentratum sequenti modo:

R.	Nitratis potassæ depurati et pulverisati.	part.	100
	Acidi sulphurici concentrati	»	97
	Aquæ	»	30

Nitrati in retortam vitream immisso affunde acidum sulphuricum aqua dilutum. Tum applicetur excipulum idoneum sat amplum fiatque destillatio, igne primum moderato, sed gradatim aucto donec residuum aquæ instar fluat. Destillatione peracta, retortam ab igne amove et sal residuum, statim ac concrescere incipit, per collum retortæ effunde. Servetur in vasis vitreis probe obturatis, loco obscuro et frigido.

Sit liquor limpidus, a chloro liber et ponderis specifici 1,38 (40°).

ACIDUM NITRICUM PURUM 36°.

R. Acidi nitrici venalis 36° quantum libet,
Nitratis argenti in acido nitrico soluti quantum satis.

Acidum, addita nitratis argenti solutione quæ leviter prævaleat, cum parva bichromatis potassæ quantitate, igne leni, destilla.

Sit limpidum et incolor. Cum duabus vel tribus aquæ partibus dilutum nec chlorureto baryi, nec nitrate argenti præcipitetur.

ACIDUM NITRICUM DILUTUM.

R.	Acidi nitrici 40°.	part.	1
	Aquæ	»	2

Misce.

Pondus specificum liquidi sit 1,120.

Nota. Si Medicus acidum nitricum sine designatione præscripserit, acidum nitricum dilutum dabit Pharmacopola.

ACIDUM NITRO-CHLORHYDRICUM.


ACIDUM CHLORO-NITROSUM.

Aqua regalis s. regia. Acidum nitro-muriaticum.

R. Acidi nitrici 40°. . . . . part. 1
— chlorhydrici 22°. . . . . » 3

Misce in vase vitreo aquæ frigidæ immerso; servetur in lagena probe obturata, loco frigido et obscuro.

ACIDUM OXALICUM.


HO,C^2O^3+2HO.

R. Sacchari pulverati. . . . . part. 1
Acidi nitrici 36° . . . . » 3

Saccharo in retortam vitream amplam excipulo idoneo conjunctam immisso, infunde duas partes acidi et calefac leviter. Effervescentia peracta, evaporetur liquor leni calore et crystallisandus seponatur. Crystalli colligantur et liquidum supernatans cum altera acidi nitrici parte, addito insuper quod destillaverit, novæ reactioni, ut supra, subjice. Crystallos inde ortas prioribus adde, quæ simul dein in pauxillum aquæ fervidæ solvantur et crystallisatione depurentur.

Crystallos exhibet prismaticas, incolores, pellucidas, odoris nullius, saporis peracidi. In acido sulphurico calefacto resolvuntur fervescendo absque gas sulphurosi evolutione, nec acidum sulphuricum nigrescit. Calori fortiori expositum, acidum oxalicum partim sublimatur, partim decomponitur, nullo carbone residuo. Cum limatura cupri in tubulo vitreo calefactum vapores nitrosos non edat; solutio ejus aquosa addito chlorureto baryi non turbetur, nec acido sulpho-hydrico colorem nigrum induat.

ACIDUM PHOSPHORICUM.

Acidum Ossium.


$3HO,PO^5+Aq$.

R. Phosphori in frustula concisi. . . . . . . part. 1
Acidi nitrici 32°. . . . . » 8

Retortam vitream tubulatam sat capacem, non ultra dimidium acido nitrico replendam, balneo arenæ impone et admove excipulum longo tubo aperto instructum. Acido ad 70° circiter calefacto adde phosphori frustulum, vix grammatis pondus æquans, et tubulus retortæ statim claudatur. Phosphoro soluto et evolutione vaporum nitrosorum cessante, alterum frustulum in retortam injice eademque ratione perge, donec

tota phosphori massa soluta sit. Deinde liquidum retortæ refrigeratum et acido destillato commixtum, in patina porcellanea vel platinica calore fortiori, sub finem aucto, evaporetur ad syrupi spissitudinem, vel potius quoad vapores nitrici, ope bacilli vitrei ammonio liquido humectati, non amplius dignoscantur.

Acidum paratum, si acido arsenico inficitur, quod methodo detegitur Marshiana, cum aquæ sextuplo dilutum, in apparatu Woulfiano gas hydrosulphurato fortiter imbue; in vase clauso per aliquot dies sepone, et tunc balneo aquæ (coctionem vitando), per quadrantem horæ calefac; denique, si hac operatione turbatur, filtratione separetur a sedimento, et in vase porcellaneo tamdiu evaporetur quamdiu charta, solutione acetatis plumbi imbuta, vaporibus fuscescat, et donec pondus specificum fluidi sit 1,35 (38°).

Sit limpidum, coloris et odoris expers, saporis acidi haud ingrati. Cum quatuor aquæ partibus dilutum nec nitrate argenti, nec chlorureto baryi dejiciatur. Alcohole 33° ne turbidum fiat, nec aqua hydrosulphurata coloretur. Acido nitrico sit liberum, quod coctione cum cupro in tubo vitreo dignoscitur; carbonate sodæ saturatum, cum nitrate argenti præcipitatum pallide flavum edat, in acido nitrico plane solubile. Acido sulphuroso immixtum, calore ne lactescat (acidi phosphorosi indicium). Solutionem albuminis ovi non coagulet.

ACIDUM SUCCINICUM MEDICINALE.

Acidum succinicum crudum. Sal succini.

R. Succini grossiuscule contusi quantum libet.

E retorta vitrea non ultra dodrantem succino replenda, apposito excipulo sat amplo, de balneo arenæ destilla igne primum leni, dein sensim aucto, usque dum nihil amplius effluat. Quo facto, crystallos collectas solve in liquore excipuli, a quo oleum supernatans separaveris, et adde, si opus est, pauxillum aquæ ad perfectam crystallorum solutionem. Tunc filtratione per chartam bibulam aqua tepefacta irroratam oleum succini secerne, et liquor colatus in patina porcellanea evaporetur donec pellicula salina appareat. Crystallos refrigeratione concretas inter chartam bibulam sicca, et lixivium iterata evaporatione in crystallos coge, quas siccatas prioribus adde. Oleum serva ad rectificationem.

Crystalli sunt albido-flavescentes, rectangulariter prismaticæ, saporis aciduli, odoris olei succini; in aëre perstant; calore 176° liquescunt et igne aucto avolant. In alcoholis rectificatissimi fervidi duabus partibus solvuntur. Coctione cum acido nitrico non acidum succinicum, sed oleum immixtum destruitur.

Acidum succinicum venale nonnunquam adulteratum invenitur, præsertim bisulphate potassæ et sale ammoniaco.

ACIDUM SULPHURICUM ALCOHOLISATUM.

Aqua Rabelii.

R.	Acidi sulphurici destillati concentrati. .	part.	250
	Alcoholis 26° (86° C.)	»	750
			1000

Acidum per vices et paulatim alcoholi immisce. Liquor limpidus servetur in vase clauso.

ACIDUM SULPHURICUM DESTILLATUM.

Acidum sulphuricum purum s. *rectificatum. Acidum thionicum.*

HO,SO^3.

R. Acidi sulphurici venalis quantum libet.

E retorta vitrea non tubulata, ad dimidium vix implenda, destilletur. Retortam in furnum impone ita dispositum, ut non vasis fundus, sed latera tantum ignis vim recipiant et acidum non nisi versus superficiem liquidi ebulliat.

Retortæ appone excipulum, quod quam utilissime aptabis ope tubi vitrei tripedalis et talis amplitudinis ut collum retortæ accurate amplectatur. Dein capitellum fictile vel ferreum supra retortam impone, ut hæc undique aëre calido foveatur. His factis, igne sensim aucto, acidum calefiat. Quum sedecima pars destillaverit, excipulum, durante operatione nequaquam refrigerandum, mutetur et, juncturis luto non obturatis, pergat destillatio eo modo ut liquidum leniter tantum ebulliat, et acidi decima circiter pars in retorta maneat. Acidum in excipulo lente frigefactum immitte in lagenam obturaculo vitreo probe claudendam.

Quum destillatione non amoveantur substantiæ alienæ volatiles in acido sulphurico venali sæpius obviæ, hoc ante destillationem depurare oportet sequenti modo :

Si acidum nitricum vel nitrosum inest, calefiat cum acidi tartrici ea tantum quantitate qua acidum sulphuricum leviter nigrescat. Si acidum sulphurosum continet, gas chlorum humidum immittatur. Si arsenico inquinatum est, acidum cum aquæ partibus quatuor dilutum fortiter gas acido sulphohydrico imbue, post aliquot dies decantha et evapora donec omnis odor hydrogenii sulphurati evanuerit.

Sit coloris expers, ponderis specifici 1,847 (66°), et plane volatile; nec spiritu vini turbetur, nec solutionem concentratam sulphatis ferrosi colore roseo vel rubro tingat. Aquæ destillatæ partibus duodecim dilutum ne præcipitetur nitrate argenti, nec

cum zinco depurato, in apparatu Marshiano, arsenici vestigia denotet, nec hydrogenium sulphuratum præbeat, acidi sulphurosi indicium.

ACIDUM SULPHURICUM DILUTUM.

Spiritus vitrioli. Acidum thionicum dilutum.

R. Acidi sulphurici destillati . . . . part. 1
Aquæ destillatæ . . . . » 5.

Aquæ sensim instilla acidum, dein liquorem in lagenam, e qua acidum exhaustum, refunde, ne acidi ulla pars in mixtura deficiat.

Sit limpidum, ponderis specifici 1,110—1,120.

ACIDUM SULPHO-HYDRICUM LIQUIDUM.

SULPHIDUM HYDRICUM SOLUTUM.

Acidum hydrosulphuricum solutum. Acidum thionhydricum. Aqua hydrosulphurata.

$HS+Aq.$

R. Sulphureti antimonii venalis tenuissime pulverati part. 1
Acidi chlorhydrici venalis. . . . . » 5

Immitte in retortam voluminis duplicis, cum apparatu Woulfiano duarum vel trium lagenarum conjunctam. In prima lagena parvam aquæ copiam continente gas leni calore evolutum abluitur; in aliis lagenis aqua destillata fere repletis solvitur; et ne gas excedens amittatur vel aërem inficiat, excipiatur in solutione sodæ causticæ 25°, quæ dein ad parandum sulphohydratem sodæ liquidum optime conveniet. Servetur aqua hydrosulphurata in lagunculis repletis probe obturatis, in loco obscuro ac frigido reponendis.

Sit limpidum, odoris penetrantis nauseoso-hepatici.

ACIDUM TANNICUM.

Acidum gallotannicum. Acidum quercitannicum. Tanninum.

$3HO,C^{18}H^{5}O^{9}=3HO,\bar{T}n.$

R. Gallarum pulveratarum quantum libet,
Ætheris sulphurici ab oleo vini liberi quantum satis.


Gallarum pulverem per viginti quatuor horas aëri humido antea expositum in apparatum depulsorium ingere. Tunc ætherem cum decima aquæ parte dilutum per vices affunde ut gallæ immergantur; seponatur apparatus in loco frigido, ita dispositus ut æther lente coletur in excipulum. Liquor prodiens in strata duo subsidit. Liquidum gravius, cui

tanninum inest, quum accrescere desierit, secerne a leviore æthereo, et in patina porcellanea blando calore evapora. Residuum apprime siccum serva in vasis probe clausis et loco obscuro.

Tanninum massam præbet spongiosam ex albo-flavescentem, saporis maxime adstringentis, non amari, reactionis acidæ, in aqua facile solubilem. Gelatinæ solutionem præcipitat. In lamina platinica combustum, nullum residuum relinquat.

ACIDUM TARTARICUM.

Acidum tartricum.



$2HO,C^8H^4O^{10}=2HO,\bar{T}r.$

R. Bitartratis potassæ depurati et pulverati. . . . . . part. 4
Cretæ purificatæ et pulveratæ. . . . . » 1
Aquæ destillatæ . . . . » 20
Chlorureti calcii sicci pulverati . . . . » 1

Ebulliat aqua cum tartaro depurato in sartagine cuprea stanno obducta; cretam injice sensim et per vices quamdiu effervescentia prodit. Miscelam leni calore fove per aliquot horas. Vas ab igne remotum sepone ad subsidentiam; tum liquidum limpidum effunde et sedimentum in linteo expanso collectum aqua fervida insperge ut abluatur. Liquores, tum priorem effusum, tum posteriorem ad lotionem adhibitum, in sartagine commixtos, calefac leviter, et chloruretum calcii aqua solutum continue agitans instilla, quamdiu præcipitatum album efficitur.

Sedimentum aqua fervida bene ablutum adhuc humidum alteri prius collecto adde; tunc dilue cum

Aquæ destillatæ . . . . part. 16

et, sub agitatione continua, sensim instillentur

Acidi sulphurici concentrati . . . . part. 2

Digere calore leni per dies plures sæpius quatiendo, dein decantha et sedimentum (gypsum) elue quamdiu acidum tartaricum inhæret. Aquam lixiviationis liquori jam elicito commisce, et liquores collectos ebulliendo in patina plumbea evapora ut sint ponderis specifici 1,21; tum refrigescant ac decanthatione nec non filtratione a sedimento gypseo rursus enato separentur.

Evaporationem dein, sed absque ebullitione, in balneo aquæ perge ad pelliculam, et liquidum in loco frigido committe crystallisandum. Post quatuor vel quinque dies collige crystallos et secerne lixivium residuum.

Lixivia, ope aliquantulum chloratis potassæ et acidi sulphurici decolorata, nova evaporatione consume ad pondus specificum 1,5, ut in crystallos

abeant; quæ, si coloratæ, in aquæ destillatæ tantillum solvantur ac coquantur cum carbone animali depurato. Colatus denique liquor ad crystallisationem seponatur.

Crystalli sunt incolores, pellucidæ, prismaticæ vel tabuliformes, saporis peracidi, in aquæ pondere duplo nec non in alcohole rectificatissimo solubiles. Aëre non humescant. Acidum tartaricum solutum in aqua calcis et barytæ præcipitata alba edit, quæ acido excedente vel acido nitrico solvuntur. Solutio cum gas hydrogenio sulphurato nullum præcipitatum, cum salibus baryticis vix ullum vel levissimum gignat.

Nota. Acidum tartaricum venale, ut usui medico inserviat, solutione in aqua et iterata crystallisatione depurandum est.

ACIDUM VALERIANICUM.

Acidum valericum.



$$HO,C^{10}H^{9}O^{3}.+2HO=HO,\bar{V}+2HO.$$


R. Radicis Valerianæ concisæ	20
Aquæ pluvialis	100

Macera per triduum et destillationi submitte. Quum aquæ triginta partes elicitæ sunt, aquæ par volumen cucurbitæ injice et pergat destillatio ea ratione ut postquam aliæ triginta partes emanaverint, æqualis aquæ copia in retortam immittatur. Operatione peracta, destillatum per hebdomadem aëri expone, dein carbonate sodæ saturatum ad siccitatem fere usque evapora. Sal obtentum pari aquæ pondere solve, solutionem cum acido sulphurico antea duplo aquæ diluto in retortam immitte (partes 4 acidi sulphurici concentrati ad 5 salis partes decomponendas sufficiunt), et destillet leni calore, quamdiu una cum aqua prodit acidum oleosum, quod, separatorii ope aqua liberatum, in vitro bene obturato servabis.

Liquor oleosus, incolor, aqua levior, odoris fortis pungentis, subvalerianini, saporis acerrimo-acidi, dein dulciusculi et ad finem urentis; in aquæ triginta partibus solvitur, cum spiritu vini autem et cum æthere in qualibet proportione commiscetur.

ACONITINA.

Aconitium. Aconitinum.



$$C^{60}H^{47}AzO^{14}=\overset{+}{A}c.$$

R. Foliorum Aconiti Napelli dessiccatorum quantum libet,
Alcoholis 28° (89° C.) quantum satis.

Folia in pulverem redacta, methodo lixiviatoria spiritus vini ope exhauriantur, et solutio hydrate calcis decomponatur; aconitina in solutione remanet. Sedimento dein filtratione amoto, liquori infunde acidum sulphuricum dilutum quo sulphas calcis præcipitetur et aconitina saturetur.

Sedimento altera filtratione separato et maxima parte alcoholis destillatione recuperata, residuum, aquæ parva quantitate mixtum, in capsula porcellanea, blando calore, evaporet, donec alcohol plane defecerit; dein carbonate kalico decomponatur. Præcipitatum inde enatum inter chartam bibulam rite expressum, alcohole concentratissimo exhauriatur; solutio carbone animali decolorata et aqua diluta evaporetur ut aconitinam præbeat. Hæc, si non sat pura aut non incolor, iterum acido sulphurico conjungenda et sulphas aconitinæ liquore kali caustico seu hydrate calcis decomponendus est, ut ex sedimento aconitina pura, ætheris ope, eliciatur. Caute servetur.

Parare quoque licet aconitinam ex succo Aconiti recentis vel extracto nuper confecto.

Sit massa sicca, incolor, pellucida, splendoris vitrei, odoris expers, saporis amari et acris, reactionis alcalinæ, in spiritu vini ac in æthere quam maxime solubilis. Solvitur in aquæ fervidæ partibus 50, in aquæ frigidæ partibus 150. Solutio fervida refrigeratione non turbetur. Solutio aquosa liquore chlorureti platinici non præcipitetur, sedimentum vero præbeat album cum acido quercitannico, e fusco rubrum cum tinctura iodina, et ex albo luteum cum chlorureto aurico. Ex addito acido sulphurico concentrato aconitina colorem primum subflavum, dein e rubro purpureum induit.

ÆTHER.

OXYDUM ÆTHYLICUM.

Æther sulphuricus. Æther hydricus. Naphtha vitrioli.



$C^4H^5O{=}ÆO.$

R.	Alcoholis 26° (85° C.)	part.	5
	Acidi sulphurici 66°.	»	9

Acidum sensim et caute alcoholi addatur. Mixta in retortam vitream tubulatam immittantur et, applicato excipulo probe refrigerando juncturisque bene clausis, fiat destillatio ex balneo arenæ. Retortæ aptetur tubus in formam litteræ S incurvatus et inferne orificio coangustato terminatus, tum, destillatione jam inchoata, per hunc tubum, ex lagena vitrea epistomio munita, liquori acido in cucurbita continue fortiter ebullienti guttatim instilletur alcoholis tantum ut liquoris punctum ebullitionis sit graduum 140, et ejus volumen destillatione nec imminuatur nec augeatur. Perge destillando donec quantitas alcoholis consumpti quintuplum acidi sulphurici adhibiti adæquet. Ætherem dein obtentum misce cum aquæ volumine æquali, cui jam additæ fuerint calcis extinctæ partes 0,02. Miscela vase clauso bene conquassetur et quum reactio acida et odor

sulphurosus evanuerint, æther decapulando separatus, ex balneo aquæ fervidæ rectificetur, quamdiu destillatum sit ponderis specifici 0.74.

In vitris minoribus rite clausis, loco frigido, servetur. Æther procul ab igne semper transfundatur vel decapuletur, ne vapores flamma corripiantur.

Sit limpidus, coloris expers, summe volatilis, odoris proprii pure fragrantis, ponderis specifici 0,74 (50°), neuter, in aquæ destillatæ non minore quantitate quam decem partibus solvendus. Ne turbetur acido sulpho-hydrico, nec addita solutione barytæ. Calore manus avolatus oleum vini non relinquat.

Nota. Ut ab omni alcohole et aqua sit liber, cum magna chlorureti calcii pulverati copia digerendus est et denuo rectificandus.

ÆTHER ACETICUS.

ACETAS ÆTHYLICUS.

Æther acetatus. Naphtha aceti.



$C^4H^5O, C^4H^3O^3 = ÆO, \bar{A}c.$

R. Acetatis sodici anhydri et pulverati,
Acidi sulphurici 66°,
Alcoholis 33° (96° C.), singulorum partem unam.

Acetate in retortam tubulatam immisso, affundatur acidum antea alcohole mixtum et refrigeratum. Post digestionem viginti quatuor horarum, destillatio igne moderato instituatur usque dum volumen liquidi, alcoholis volumini æquale, collectum sit. Æther excipulo elicitus cum vigesima circiter parte calcis extinctæ, in lagena obturata conquassetur, donec reactio acida evanuerit. Tum æther decapulatus cum æquali volumine chlorureti calcii exsiccati maceretur et, post aliquot horas, ex retorta, leni calore, rectificetur, in lagenis rite clausis servandus.

Sit limpidus, coloris expers, odoris proprii grati, penetrantis, ponderis specifici 0,890 (18°) calore 15° C. Chartam exploratoriam cæruleam non rubefaciat, neque in aquæ minore quantitate quam septem partibus (temperatura 17°) solvatur. Acido hydrosulphurico non nigrescat.

ÆTHER CHLORHYDRICUS ALCOHOLICUS.

Æther muriaticus alcoholicus. Spiritus salis dulcis.

R. Chlorureti sodii . . . . part. 334
Bioxydi mangani pulverati . . . . » 125
in retortam immissis, adde
Acidi sulphurici concentrati . . . . » 250
caute prius mixtas cum
Alcoholis 28° (89°). . . . . » 1000

Tum destillent partes 750 cum pauxillo magnesiæ ustæ rectificandæ, si reactionem acidam monstrant. Serva lagenis minoribus bene clausis, loco frigido et obscuro.

Sit limpidus, coloris expers, odoris proprii spirituoso-ætherei, saporis similis, subaromatici, ponderis specifici 0,84 (27°). Colorem chartæ cæruleæ non mutet, et aqua destillata mixtus, nitrate argenti liquido non turbetur.

ÆTHER NITRICUS ALCOHOLICUS.

Spiritus nitrico-æthereus. Spiritus nitri dulcis.

R.	Alcoholis 26° (86° C.)	part.	100
	Acidi nitrici 40°	»	35
	Sacchari albi	»	10

E retorta vitrea destillent partes 70. Æther elicitus cum parte una magnesiæ ustæ conquassetur et liquor neuter decanthatus rectificetur. Serva in lagenis replendis probe clausis.

Sit limpidus, fere coloris expers, odoris proprii ætherei, grati, saporis paris, ponderis specifici 0,86—0,85 (23°—25°), et ab acido liber quanquam tempore facile acescat.

ÆTHER SULPHURICUS ALCOHOLICUS.

Liquor anodynus Hoffmanni.

R.	Ætheris sulphurici.	part.	468
	Alcoholis 28° (89° C.)	»	532 (1)
			1000

Misce et serva in lagenis rite claudendis.

Sit limpidus, coloris expers, odoris penetrantis ætherei, grati, saporis similis, ponderis specifici 0,791—0,795 (37°—38°). Ne colorem chartæ exploratoriæ cæruleæ mutet.

ALCOHOL 33° (96° C.).

Spiritus vini concentratissimus.



$C^4H^5O,HO+Aq.$

R.	Alcoholis 28° (89° C.).	part.	2
	Calcis vivæ bonæ notæ.	»	3

Calcem in fragmenta minora redactam alembico vix ad dimidium implendo immitte. Dein, spiritu vini infuso, statim appone capitellum, imo

(1) Partes ætheris et alcoholis hic præscriptæ consentiunt ponderibus specificis; respondent igitur hæ partes, pro utroque liquore, eidem volumini.

excipulum, ut vapores alcoholici qui eliciuntur quum calx extinctione calescit, condensentur et colligantur. Post macerationem per biduum, ex balneo aquæ destilla. Servetur liquor vase vitreo probe clauso.

Sit ponderis specifici 0,813.

ALCOHOL 28° (89° C.).

Spiritus vini rectificatissimus.

R. Alcoholis bonæ notæ 25°.

E vesica destillatoria, blando calore, rectificetur quamdiu sit ponderis specifici 0,837.

Nota. Alcohol venalis gradus 28 et ultra exhibens pro spiritu vini rectificatissimo adhiberi potest, dum limpidus sit, incolor, odoris spirituosi puri tametsi manibus fricatus, nec ex addita aqua turbetur.

ALCOHOL 20° (75° C.).

Spiritus vini rectificatus.

Paretur destillando spiritum vini venale, vel miscendo alcoholem rectificatissimum cum aqua destillata ita ut pondus specificum liquoris sit 0,878.

Nota. Si Medicus alcoholem sine designatione præscripserit, alcoholem 20° dabit Pharmacopola.

ALCOHOLATUM ANGELICÆ COMPOSITUM.

Loco *Spiritus theriacalis.*

R. Radicis Angelicæ	part.	134
— Valerianæ	»	34
Baccarum Juniperi.	»	34
Alcoholis 19°.	»	1000
Aquæ.	»	800

Macera per diem, tum destilla ex balneo aquæ alcoholati 16° (66° C.) partes 983; dein adde Camphoræ partes 17, ut sint liquoris partes 1000.

ALCOHOLATUM AROMATICUM.

Loco *Spiritus carminativi Sylvii.*

R. Herbæ Majoranæ.	part.	25
Corticis Cinnamomi	»	25
Nucis Moschatæ.	»	25
Caryophyllorum	»	25
Seminis Coriandri.	»	50
Alcoholis 23°.	»	1000
Aquæ.	»	800

Post macerationem per viginti quatuor horas, destillent balneo aquæ alcoholati 20° (75° C.) partes 1000.

ALCOHOLATUM AROMATICUM CUM CROCO.

Spiritus pro Elixirio Gari.

R.	Myrrhæ	part.	1
	Croci	»	4
	Corticis Cinnamomi	»	4
	Caryophyllorum	»	4
	Nucis Moschatæ	»	4
	Alcoholis 22°	»	1000
	Aquæ	»	100

Peracta maceratione, destilla balneo aquæ donec exceperis alcoholati 20° (75° C.) partes 1000.

ALCOHOLATUM BRYONIÆ COMPOSITUM.

Aqua Bryoniæ composita.

R. Castorei Canadensis contusi . . . . . part. 7

Alcoholis 20° (75° C.) quantum satis ut, post digestionem per triduum, eliciantur tincturæ partes 50, usui sequenti inserviendæ. Sume nempe

Herbæ recentis Rutæ	part.	84
— — Sabinæ	»	7
— — Pulegii	»	7
— — Basilici	»	7
— — Matricariæ	»	7
— — Nepetæ catariæ	»	7
Corticum Aurantiorum	»	14
Myrrhæ	»	14
Radicis Bryoniæ recentis	»	168.

His in cucurbita cum tincturæ Castorei residuo commixtis, addantur:

Alcoholis 10°	part.	336
Aquæ fontanæ	»	2000

Post macerationem destillent partes 950; quibus admisce tincturam Castorei usui servatam, ut inde obtineantur partes 1000.

ALCOHOLATUM CINNAMOMI.

Spiritus Cinnamomi.

R.	Corticis Cinnamomi	part.	150
	Alcoholis 23°.	»	1000
	Aquæ.	»	800

Macera per diem et destilla balneo aquæ alcoholati 20° (75° C.) partes 1000.

ALCOHOLATUM CINNAMOMI AQUOSUM.

Aqua Cinnamomi vinosa.

R.	Alcoholati Cinnamomi	part.	225
	Aquæ Cinnamomi	»	775
Misce.			1000

ALCOHOLATUM COCHLEARIÆ.

Spiritus Cochleariæ.

R.	Herbæ Cochleariæ recentis	part.	800
	Radicis Cochleariæ armoraciæ	»	200
	Alcoholis 18°.	»	1000
	Aquæ quantum satis.		

Fiat destillatio, sine prævia maceratione, ut eliciantur alcoholati 15° (63° C.) partes 1000.

ALCOHOLATUM COCHLEARIÆ COMPOSITUM.

Aqua s. Cerevisia antiscorbutica Sydenhami.

R.	Herbæ Cochleariæ recentis	part.	560
	— Menthæ crispæ	»	41
	— Salviæ	»	41
	Corticum Aurantiorum.	»	83
	Nucis Moschatæ	»	7
	Alcoholis 12°	»	500
	Aquæ quantum satis.		

Destillent lento igne ut habeantur partes 1000.

ALCOHOLATUM CORTICUM AURANTIORUM.

Spiritus corticum Aurantiorum.

R.	Corticum Aurantiorum Curassaviensium	part.	165
	Alcoholis 23°	»	1000
	Aquæ	»	800

Post macerationem per biduum, destilla balneo aquæ alcoholati 20° (75° C.) partes 1000.

ALCOHOLATUM FLORUM AURANTIORUM.

Spiritus florum Aurantiorum.

R. Florum Aurantiorum recentium	part.	165
Alcoholis 22°	»	1000
Aquæ	»	400

Macera per diem et destillando aquæ balneo eliciantur alcoholati 20° (75° C.) partes 1000.

ALCOHOLATUM JUNIPERI COMPOSITUM.

Spiritus Juniperi compositus.

R. Baccarum Juniperi recenter siccatarum	part.	111
Seminum Carvi	»	167
— Fœniculi	»	167
Alcoholis 14°	»	1000
Aquæ quantum sufficit.		

Post macerationem per viginti quatuor horas, destilla blando igne, donec exceperis alcoholati 11° (53° C.) partes 1000.

ALCOHOLATUM MELISSÆ.

Spiritus Melissæ.

R. Herbæ Melissæ officinalis recentis	part.	500
Alcoholis 18°	»	1000
Aquæ quantum sufficit.		

Destillent sine prævia maceratione alcoholati 15° (65° C.) partes 1000.

ALCOHOLATUM MELISSÆ COMPOSITUM.

Loco *Aquæ Melissæ Carmelitarum.*

R. Herbæ Melissæ officinalis	part.	111
Corticis Citri recentis	»	28
Nucis Moschatæ	»	28
Seminis Coriandri	»	28
Caryophyllorum	»	14
Corticis Cinnamomi	»	14
Alcoholis 23°	»	1000
Aquæ	»	800

Post macerationem per biduum eliciantur destillatione, ex balneo aquæ, alcoholati 20° (75° C.) partes 1000.

ALCOHOLATUM POLYAROMATICUM.

Spiritus polyaromaticus. Balsamum Fioraventi.

R. Nucis Moschatæ	part.	10
Caryophyllorum	»	10
Radicis Zingiberis	»	10
Corticis Cinnamomi	»	10
Myrrhæ	»	18
Galbani	»	18
Styracis liquidi	»	18
Baccarum Juniperi	»	27
Terebinthinæ laricinæ	»	36
Alcoholis 23°	»	1000
Aquæ	»	500

Macera per diem et ex balneo aquæ destillent alcoholati 20° (75° C.) partes 1000.

ALCOHOLATUM VULNERARIUM.

Aqua vulneraria. Spiritus traumaticus.

R. Herbæ Salviæ	part.	11
— Absynthii	»	11
— Nepetæ catariæ	»	11
— Hyssopi	»	11
— Melissæ officinalis	»	11
— Basilici	»	11
— Thymi	»	11
— Rutæ	»	11
— Majoranæ	»	11
— Rosmarini	»	11
— Origani vulgaris	»	11
Florum Lavandulæ	»	11
Alcoholis 14°	»	1000
Aquæ quantum satis.		

Post macerationem per nychtemerum, destilla igne leni alcoholati 10° (50° C.) partes 1000.

ALCOHOLETUM ABSINTHII.

Loco *Alcoholati* s. *Spiritus Absinthii.*

R.	Olei volatilis Absinthii.	part.	3
	Alcoholis 20 (75° C.).	»	997
Misce.			1000

Simili modo et eadem dosi parentur,

ALCOHOLETA

Anisi.
Camomillæ romanæ.
Carvi.
Caryophyllorum.
Citri.
Fœniculi.
Juniperi.
Lavandulæ.
Menthæ.
Pimentæ.
Rosmarini.
Salviæ.
Serpylli.
Thymi.

et alia alcoholeta cum oleis volatilibus paranda. Olea sint recentia et pura.

ALCOHOLETUM AMMONIÆ ANISATUM.

Spiritus s. *Liquor ammoniæ anisatus.*

R.	Olei volatilis Anisi.	part.	32
	Alcoholis 28° (89° C.)	»	776
	Ammoniæ liquidæ.	»	192
			1000

Misce.

ALCOHOLETUM AROMATICUM AMMONIACALE.

Loco *Spiritus salis volatilis oleosi Sylvii.*

R.	Alcoholati aromatici.	part.	920
	Ammoniæ liquidæ.	»	50
	Carbonatis Ammoniæ pulverati.	»	20
	Olei volatilis Caryophyllorum.	»	2
	— — Macidis.	»	2
	— — Majoranæ.	»	2
	— — Citri	»	4
			1000

Misce quassando et serva laguncolis obturaculo vitreo clausis.

ALCOHOLETUM AROMATICUM DE CITREIS.

Aqua Coloniensis medicinalis.

R. Olei Bergamottæ	part	10
— Corticis citri	»	10
— Neroli	»	7
— Lavandulæ	»	4
— Rosmarini	»	1
Alcoholis 28° (89° C.)	»	968
Misce.		1000

ALCOHOLETUM CAMPHORÆ.

Tinctura Camphoræ. Spiritus vini camphoratus.

R. Camphoræ	part.	77
Alcoholis 25° (84° C.)	»	925
Solve.		1000

ALCOHOLETUM CAMPHORÆ DEBILE.

Aqua vitæ camphorata.

R. Camphoræ	part.	25
Alcoholis 12° (55° C.)	»	975
Solve.		1000

ALCOHOLETUM LAVANDULÆ COMPOSITUM.

Spiritus Lavandulæ compositus.

R. Florum Lavandulæ	part.	250
Corticis Citri recentis	»	20
Alcoholis 17°	»	1070

Destillatione eliciantur alcoholis 14° partes 1070, in quibus per triduum, calore 20—30°, digerantur.

Corticis Cinnamomi	part.	20
Caryophyllorum	»	7
Cubebarum	»	7

Radicis Alcannæ quantum requiritur ut pulchrum sumat tinctura colorem.

Filtra ut obtineas alcoholeti limpidi partes 1000.

ALCOHOLETUM OLEOSO-BALSAMICUM.

Mixtura oleoso-balsamica. Balsamum vitæ Hoffmanni.

R. Balsami Peruviani.	part.	5
Olei volatilis Caryophyllorum.	»	5
— — Macidis	»	5
— — Lavandulæ	»	5
— — Cinnamomi	»	2,5
— — Citri.	»	2,5
Alcoholis 27° (87° C.).	»	975
Misce et filtra.		1000

Nota. Si balsamum vitæ Hoffmanni cum Moscho vel Ambra præscribitur, adde partem unam Moschi aut Ambræ.

ALCOHOLETUM SAPONATO-CAMPHORATUM LIQUIDUM.

Balsamum Opodeldoch liquidum.

R. Saponis olei Olivarum sicci	part.	125
Aquæ destillatæ	»	190
Alcoholis 28° (89° C.).	»	615
Camphoræ	»	25
Olei volatilis Rorismarini.	»	15
— — Thymi	»	5
Liquoris ammonii caustici.	»	25
		1000

Paretur uti balsamum Opodeldoch solidum.

Sit liquor subflavus, limpidus.

ALCOHOLETUM SAPONATO-CAMPHORATUM SOLIDUM.

Sapo aromaticus. Balsamum Opodeldoch solidum. Linimentum saponato-camphoratum.

R. Saponis animalis sicci.	part.	80
Aquæ destillatæ	»	100
Alcoholis 28° (89° C.)	»	715
Camphoræ.	»	60
Liquoris ammonii caustici	»	25
Olei volatilis Rorismarini.	»	15
— — Thymi	»	5
		1000

Sapo et aqua calore balnei aquæ calefiant in vase clauso. Quum gelati-

næ speciem induit sapo, camphoram et spiritum vini adde. Tunc solutioni calide colatæ infundantur ammonia liquida oleaque volatilia, et refrigeretur mixtura in laguncculis probe clausis loco frigido seponendis.

Sit ex albido subflavum, pellucidum, tempore opalescens, tactu facile liquescens.

ALCOHOLETUM SAPONATUM CUM ÆTHERE ACETICO.

Balsamum Opodeldoch cum Æthere acetico.

R.	Saponis animalis sicci	part.	84
	Aquæ destillatæ	»	66
	Alcoholis 28° (89° C.)	»	666
	Camphoræ	»	33
	Ætheris acetici	»	135
	Olei volatilis Lavandulæ	»	3
	— — Bergamottæ	»	3
	— — Citri	»	3
	— — Macidis	»	3
	— — Caryophyllorum	»	2
	— — Cinnamomi	»	2
			1000

Paretur ex tempore.

ALCOHOLETUM SAPONIS.

Spiritus s. Tinctura saponis.

R.	Saponis olei Olivarum sicci	part.	150
	Aquæ destillatæ	»	200
	Alcoholis 28° (89° C.)	»	647
	Olei volatilis Lavandulæ	»	3
			1000

Sapo et aqua balneo vaporis calefiant usque dum gelatinæ speciem proferat sapo, dein spiritum vini infunde et, solutione ab igne remota, oleum Lavandulæ admisce.

Sit liquor subflavus, limpidus.

AMMONIA LIQUIDA.

Liquor ammonii caustici. Alcali volatile. Spiritus salis ammoniaci.


$$NH^3,HO + Aq. = NH^4O + Aq. = AmO + Aq.$$

R.	Chlorureti ammonii	part.	4
	Calcis vivæ bonæ notæ	»	3

Seorsim in pulverem redacta misceantur in retorta vitrea tubulata ad tertiam tantum partem implenda. Retortæ imponatur tubus in formam S incurvatus, et applicetur apparatus Woulfianus ex tribus constans lagenis, quarum prior, minus ampla, solutionem potassæ ad gas abluendum contineat, posteriores vero, vix semireplendæ et bene refrigerandæ, habeant simul aquæ puræ pondus ponderi salis ammoniaci æquale. Necesse est tubi qui gas vehunt aquæ ad fundum usque immergant. Juncturis deinceps probe clausis, per tubum retortæ infunde

Aquæ puræ . . . . part. 5

Calefiant, igne leni, donec bullulæ aëreæ rariores finem operationi imponendum indicent. Ammonia liquida hoc modo parata, ponderis sit specifici 0,935 (10°), ita ut 100 partes liquidi partes 17 gas ammoniaci contineant. Servetur vitro probe obturato.

Ammonia liquida sit limpida, coloris expers, maxime volatilis, odoris penetrantis non autem empyreumatici. Nec aqua calcis turbetur, nec acido sulpho-hydrico coloretur. Acido nitrico in sal neutrum conversa nec nitrate argenti, nec chlorureto baryi, nec oxalate ammoniæ dejiciatur.

AMYGDALINA.

Amygdalinum.



$C^{40}H^{27}NO^{22}+6HO.$

R. Amygdalarum amararum . . . . part. 3
Alcoholis 33° (96° C.) . . . . » 9

Inter laminas ferreas calefactas amygdalæ siccæ et contusæ prelo submittantur ut oleum pingue removeatur. Placentam in pulverem redactam coque per horam in apparatu destillatorio cum alcoholis partibus sex, et spiritum, durante ebullitione, destillatum sæpius per tubulum retortæ refunde. Quo facto, massam in linteum effusam et adhuc calentem, cito exprime. Residuum denuo cum partibus tribus alcoholis concentratissimi eodem modo coquatur, et colatura priori commixta balneo mariæ incalescat, quamdiu solvatur amygdalinum refrigeratione præcipitatum; deinde fervida filtretur et ab oleo pingui disjungatur. E colatura majorem alcoholis partem destillatione exhauri et residuum, in idoneo vase tecto, per biduum sepone ut amygdalina in flocculos albidos secernatur, qui in filtro collecti alcohole abluantur rectificatissimo. Tunc in alcoholis 20° quam minima quantitate coquendo iteratim solvatur amygdalina; liquor fervidus in vas calidum filtretur et, ut crystalluli concrescant, seponatur. Crystallos contunde et aliquantulo alcohole elutas exsicca et serva.

Crystalluli sunt albæ, squammiformes, saporis subdulcis amari, in aqua maxime

solubiles. Amygdalina cum emulsione amygdalarum dulcium mixta transmutatur in acidum cyanhydricum, oleum amygdalarum amararum, etc. Partes septemdecim amygdalinæ præbent acidi cyanhydrici partem unam et olei amygdalarum amararum partes octo.

ANTIMONIUM DEPURATUM.

Stibium depuratum. Regulus antimonii depuratus.

R. Antimonii venalis	part.	16
Sulphureti antimonii	»	1
Carbonatis sodæ dessiccati.	»	2
Sulphureti ferri.	»	1,5

Mixta per horam igne liquescant in crucibulo. Quo dein refrigerato et fracto, metallum a scoriis rite separetur et in pulverem extenuatum misceatur cum

Carbonatis sodæ quam maxime sicci. . . part. 1,5

Tum iterum igne colliqua et ut supra perge. Denique, tertia vice, sed cum una tantum carbonatis sodæ parte, operatio redintegranda.

Antimonium quoque purum obtinetur ex 10 partibus oxychlorureti antimonii cum 4 partibus carbonatis sodæ exsiccati et una parte carbonis, in crucibulo hassiaco, calori fortiori expositis. Stibium ita repurgatum, ut quæ continet sodii vestigia auferantur, in pulverem contritum aqua abluatur et igne dein liquetur.

Antimonium medicinale nec arsenico, nec cupro, nec plumbo inquinetur. Quum acido nitrico oxydatur et residuum aqua exhauritur, cuprum, plumbum et ferrum in solutione Reagentibus distinguuntur. Arsenicum quoque, in eadem solutione, apparatu Marshiano detegitur; sed notandum est partem arsenici acido stibioso vel stibico insolubili abditam remanere. Ad arsenicum dignoscendum convenit etiam stibium in aqua regali haud excedente solvere, solutumque, additis prius aqua et acido tartrico, ita ut diluatur clarumque tamen persistat, gas hydrosulphurato, quantum fieri potest, imbuere. Ex præcipitato inde orto, sulphuretum arsenici, si inest, ope ammoniæ liquidæ extrahitur, et liquor filtratus cum acido chlorhydrico acidulatur ut sulphuretum arsenicale flavum deponat.

BI-ANTIMONIAS POTASSÆ.

BI-ANTIMONIAS KALICUS. BI-STIBIAS KALICUS.

Super-antimonias potassæ. Antimonium diaphoreticum ablutum.



$KO,2SbO^5$.

R. Antimonii puri	part.	1
Nitratis potassæ	»	4

Pulverata et intime mixta sensim injiciantur in crucibulum amplum igne rubescens. Deflagratione peracta crucibuloque operculato, massa adhuc

per horam et dimidiam candescat; dein refrigerata et pulverata aquæ frigidæ infundatur, sæpiusque decanthando abluatur. Tandem sedimentum, postquam per plures horas in aqua ebulliverit, in linteo exstillatum siccetur et in pulverem subtilissimum redigatur.

Quæ ebullitioni inserviit aqua hydratem antimoniatis potassæ neutrum ($KO, SbO^5 + 5HO$) continet qui, acido carbonico in liquorem transmisso, in biantimoniatem purum insolubile mutetur.

Sit pulvis albus, odoris et saporis expers, in acido acetico insolubilis. Cum acido nitrico non effervescat. Flammæ tubi ferruminatorii super prunas expositus in globulum metallicum liquetur nec, incipiente fusione, alliaceum spargat odorem.

AQUA AMYGDALARUM AMARARUM.

R. Amygdalarum amararum. . . . . part. 1000

Contundantur et expressione frigida ab oleo pingui liberentur. Tum placentæ in pulverem redactæ affunde, rite terendo, quadruplum aquæ, et post macerationem per duodecim horas, destilla e vesica destillatoria ita concinnata, ut aquæ vapores e cucurbita vel ex alio vase emissi per amygdalarum pultem transeant. Destillando perge donec eliciantur aquæ partes 1000, vel donec mille partes liquoris stillatitii contineant partem unam acidi cyanhydrici anhydri, aut cum nitrate argenti ammoniacali commixtæ et dein acido nitrico valde diluto acidulatæ, præbeant quinque partes cyanureti argenti siccati. Caute servetur in lagunculis vitreis clausis, loco frigido et obscuro.

Sit odoris ac saporis fortiter amygdalini et præbeat millesimam partem, ut dictum est supra, acidi cyanhydrici anhydri.

AQUA AMYGDALARUM DILUTA.

Loco *Aquæ Cerasorum.*

R. Aquæ Amygdalarum amararum	part.	32
Aquæ destillatæ.	»	968
Concutiendo misce.		1000

AQUA ANISI EXTEMPORANEA.

Loco *Aquæ Anisi destillatæ.*

R. Solutionis alcoholicæ Anisi cum olei recentis parte una et alcoholis 28° novem partibus paratæ. . .	part.	3
Aquæ destillatæ.	»	997
		1000

Misce ex tempore, fortiter conquassans.

Eodem modo ex tempore parantur:

AQUÆ

Corticis citri.	Pimentæ.
Hyssopi.	Pulegii.
Melissæ.	Rutæ.
Menthæ crispæ.	Serpylli.

et aliæ quæ a medicis præscribuntur aquæ aromaticæ.

AQUA CALCIS.

Aqua calcariæ.

R. Calcis recenter ustæ et extinctæ . . . . part. 5.

Calx in lagena decuplo aquæ bis terve abluatur, dein affundantur

Aquæ destillatæ. . . . . part. 100

Vas sæpius per diem concute; postea sepone. Aqua supra sedimentum servetur vase clauso, prout usus requiritur decanthanda.

Sit limpida, saporis alcalini.

AQUA CHAMOMILLÆ.

R. Florum Chamomillæ romanæ . . . . . part. 200
Aquæ fontanæ quantum sufficit.

Destillatione abstrahantur partes 1000.

AQUA CHLORI.

Aqua chlorata. Liquor chlori. Aqua oxymuriatica.

R. Bioxydi mangani pulverati.	part.	1
Acidi chlorhydrici concentrati.	»	3
Aquæ destillatæ	»	1

Eodem modo paratur quo acidum sulpho-hydricum solutum. Si autem pauca tantum aqua chlorata requiritur, excipiatur gas chlorum in vase vitreo aqua frigida repleto et inverse posito, illucque tamdiu immittatur, quamdiu lagenæ duo trientes chloro repleti sint; vase tunc obturato, agitetur liquidum ut chlori absorptio fiat. Servetur aqua chlorata in vasis epistomio vitreo apprime clausis, loco obscuro.

Sit liquor subflavescens, limpidus, odoris proprii suffocantis. Luci pervium chlo-

rum aquam decomponit. Cum syrupi Rubi idæi parte æquali mixtus, colorem rubrum penitus destruit. Cum hydrargyro excedente agitatus donec odor chloricus evanuerit, chartam cæruleam non rubefaciat. Contineat saltem semivolumen chlori, quod exploratione chlorometrica dignoscendum. Respuatur aqua chlorata decolor, parum odora et acida.

AQUA CINNAMOMI.

R. Corticis Cinnamomi. . . . . part. 100
Aquæ fontanæ quantum sufficit.

Destillando elice partes 1000.

Turbida primo fiat, demum limpida.

AQUA DESTILLATA.

R. Aquæ fontanæ quantum velis.

Destillent tres quadrantes, rejecta parte liquidi decima quæ prius stillaverit.

Servetur in lagenis probe clausis.

Sit limpida, odoris et saporis expers, nec nitratis argenti, nec chlorureti baryi, nec oxalatis ammoniæ liquore, nec aqua hydrosulphurata mutetur; evaporatione ne vestigia quidem salina aut terrosa supersint.

AQUA FLORUM AURANTIORUM.

Aqua Naphæ.

R. Florum Aurantiorum recentium. . . . part. 350
Cretæ pulveratæ . . . . » 10
Aquæ fontanæ quantum sufficit.

Floribus et creta in vesica destillatoria mixtis, aquam affunde et elice partes 1000.

Sit limpida, neutra, odoris fragrantis.

AQUA FOENICULI.

R. Seminum Fœniculi. . . . . part. 100
Aquæ fontanæ quantum sufficit.

Destillentur partes 1000.

AQUA KREOSOTI.

R. Kreosoti . . . . part. 8
Aquæ destillatæ. . . . . » 992

1000

Misce conquassans sæpius fortiter, donec kreosotum solutum sit, et filtra; colaturam serva in vase probe clauso.

AQUA LAURO-CERASI.

R. Foliorum recentium Lauro-cerasi concisorum,
Aquæ fontanæ, singulorum partes 1000.

Destillent, uti de aqua Amygdalarum dictum est, partes mille, vel quantum sufficit ut liquoris stillatitii mille partes dimidiam partem acidi cyanhydrici anhydri præbeant. Caute servetur laguncullis bene obturatis, in loco frigido et obscuro reponendis.

AQUA MENTHÆ.

R. Herbæ Menthæ piperitæ. . . . . part. 200
Aquæ fontanæ quantum sufficit.

Destillatione obtineantur partes 1000.

AQUA PHAGEDÆNICA.

Aqua hydrargyri flava calcaria. Liquor bichlorureti hydrargyri cum aqua calcis.

R. Bichlorureti hydrargyri.	part.	4
Aquæ destillatæ.	»	4
— Calcis	»	992
		1000

Tere bichloruretum cum aqua destillata, post adde aquam calcis et loco obscuro serva.

Detur turbida.

AQUA PICIS.

R. Picis liquidæ	part.	50
Aquæ fontanæ.	»	1000

Picem in excipulum vitreum immitte, eamque versa sic ut vasis latera interiora omnino illiniantur. Tunc aquam sæpius per diem affunde fortiter agitans, postea sepone ut pix subsidat. Decanthetur liquor, post filtrationem in vasis clausis sed brevi tantum tempore servandus.

Sit subflavescens odoremque penetrantem referat picis liquidæ.

AQUA PARIETARIÆ.

R. Herbæ Parietariæ. . . . . partes 500
Aquæ fontanæ quantum sufficit.
Destillando elice partes 1000.

Eodem modo parantur :

AQUA Belladonnæ ;
— Borraginis ;

et aliæ e plantis inodoris abstrahendæ, quum a medicis postulantur. Paretur

AQUA Lactucæ sativæ

cum plantæ recentis ac florentis partibus 1000.

AQUA ROSARUM.

R. Petalorum Rosæ centifoliæ recentium, part. 400
Aquæ fontanæ quantum sufficit.
Destillent partes 1000.

AQUA SAMBUCI.

R. Florum Sambuci . . . . part. 300
Aquæ fontanæ quantum sufficit.
Destillatione obtineantur partes 1000.

Eodem modo paratur :

AQUA Tiliæ e floribus.

AQUA SATURNINA.

Aqua subacetatis plumbi.

R. Subacetatis plumbi liquidi.	part.	30
Aquæ pluvialis	»	970
Misce.		1000

AQUA VALERIANÆ.

R. Radicis Valerianæ . . . . part. 100
Aquæ fontanæ quantum sufficit.
Destillando eliciantur partes 1000.

AQUA VEGETO-MINERALIS GOULARDI.

Aqua subacetatis plumbi alcoholisata.

R. Subacetatis plumbi liquidi.	part.	20
Alcoholis 15° (63° C.).	»	50
Aquæ pluvialis	»	930
Misce.		1000

ARGENTUM PURUM.

R. Chlorureti argenti . . . . part. 1
Acidi sulphurici diluti. . . . . » 4

In capsula vitrea commixta, ope bacilli e zinco, agitentur, donec chloruretum, nascente hydrogenio, plane decompositum et in pulverem nigrum argenti conversum sit. Tunc pulvis a liquore innatante separatus, primum aqua ammoniacali, ut chloruretum argenticum non decompositum auferatur, dein acido chloro-hydrico diluto , tandem aqua pura abluatur , et siccetur.

Sit in acido nitrico plane et sine colore solubile. Solutio liquore ferrocyanureti potassii vix opalescat, et præcipitatum album, acido chloro-hydrico enatum, ammonia caustica penitus solvatur.

BI-ARSENIAS POTASSÆ.

ARSENIAS BI-HYDRICO-KALICUS.

Kali arsenicum. Sal arsenicale Macqueri.

$KO,2HO,AsO^5$.

R. Acidi arseniosi pulverati,
Nitratis potassæ puri, pulverati et sicci, partes æquales.

Rite mixta et in crucibulum operculatum immissa, in aëre libero vel sub camini spiraculo, igne fortiori urantur, donec vapores emergere cessaverint. Massa refrigerata et pulverata digeratur cum aquæ fervidæ pondere duplo ; filtretur dein solutio et cauta evaporatione in crystallos concrescat. Provide serventur.

Lixivium decanthatum, nisi chartam exploratoriam cæruleam rubefaciat, crystallos non demittit, sed arseniatem relinquit deliquescentem ($2KO,HO,AsO^5$), qui propter nimiam potassæ copiam in crystallos cogi nequit.

Crystalli prismaticæ, quadrangulares, reactionis acidæ, aqua solubiles. Solutio aquosa salibus calcicis non præceps agitur; cum nitrate autem argenti præcipitatum gignit e rubro fuscum, tum in ammonia caustica, tum in acido nitrico solubile. In apparatu Marshiano hydrogenium arseniatum emittit.

Biarseniatis potassæ 100 partes, 63,86 partes acidi arsenici continent.

ARSENIAS SODÆ SICCATUS.

ARSENIAS HYDRICO BI-NATRICUS.

$2NaO,HO,AsO^5$.

R. Nitratis sodæ puri, in pulverem siccum redacti. . . part. 10
Acidi arseniosi pulverati. . . . . » 12

Intime mixta in crucibulo operculato, in aëre libero vel sub camini spira-

culo, igne primum leni dein fortiori, urantur. Residuum refrigeratum aqua solvatur et solutio, affuso liquore carbonatis sodæ, donec reactio alca lina prævaleat, evaporetur ut fiant crystalli. Caute serventur.

E lixivio, addito rursus, si necesse est, carbonate sodæ, nova salis quantitas extrahi potest.

Crystalli omni crystallisationis aqua, calore 100°, purgentur.

Pulvis decolor, in aqua maxime solubilis, reactionis alcalinæ. Characteres præbet arseniatum solubilium.

Arseniatis sodæ desiccati partes 100, partes 61,84 acidi arsenici continent.

ARSENIS POTASSÆ SOLUTUS.

ARSENIS KALICUS SOLUTUS.

Liquor arsenicalis Fowleri.


R.	Acidi arseniosi pulverati	part.	10
	Carbonatis potassæ puri	»	10
	Aquæ destillatæ	»	950
	Alcoholis aromatici	»	30
			1000

Acido et carbonate in excipulum vitreum immissis, affunde aquam destillatam et ebulliat liquor donec acidum sit omnino solutum. Solutioni refrigeratæ adde aquæ quantum satis ut obtineantur partes 970. Infuso dein alcohole aromatico, caute serva in lagenis probe clausis.

Præcipitatum cum nitrate argenti flavum, cum sulphate cupri viride præbeat.

ATROPINA.

Atropium. Atropinum.



$\overset{+}{At} = C^{34}H^{23}NO^{6}$.

R.	Radicis Belladonnæ pulveratæ.	part.	24
	Alcoholis 28° (89° C.)	»	120 s. Q. S.

Radices exhauriantur alcohole, et tincturis commixtis colatisque addatur

Hydratis calcis . . . . pars 1

Mixtura per spatium diurnum seposita filtretur. Liquori tum infunde guttatim, donec leviter excedat,

Acidum sulphuricum dilutum

et, sedimento filtratione amoto, dimidiam partem alcoholis destillatione recupera. Residuo adde

Aquæ puræ . . . . part. 6 — 8

et liquor moderato calore, quam citissime tamen, evaporetur, usquedum ad tertiam partem redactus fuerit et alcohol plane defecerit.

Liquori ita concentrato ac dein refrigerato guttatim, continue agitans et quamdiu turbatur, instilla

Carbonatem potassæ solutum,

cavens ne excedat. Post aliquot horas, præcipitatum, quod nondum ex atropina constat, decanthatione aut filtratione separa, et de novo carbonatem potassæ solutum liquori, quamdiu turbatur, infunde; dein sepone ut atropina subsidat, quam a lixivio separatam intra chartam bibulam exprime et absque ablutione sicca.

Atropina impura ex aqua subacta, dein expressa et rite siccata, in spiritu vini quam maxime concentrato solvatur atque ex solutione filtrata dimidia pars alcoholis destillatione recuperetur. Residuo refrigerato adde sextuplum aquæ et miscela ebulliat quoad limpida fiat. Liquore seposito et refrigerato, in crystallos cogitur atropina, caute servanda.

Sint crystalli albæ, prismaticæ vel aciculares, pellucidæ, micaceæ, odoris nullius, saporis amari, acris, metallici, reactionis alcalinæ. Atropina calore 100° C. liquefit; igne fortiori partim decomponitur, partim sublimatur. Solvitur in aquæ frigidæ partibus 500, fervidæ 30, spiritus vini 8, ætheris frigidi 25. Soluta quam facillime decomponitur, itaque maxima cum cura præparanda.

Solutio aquosa tincturam iodii colore rubro-fusco, et chloruretum auri colore albo præcipitet; chlorureto platini non turbetur.

BISMUTHUM DEPURATUM.

R.	Bismuthi contusi.	part.	100
	Nitratis potassæ	»	8

Bismutho, in crucibulo hassiaco ope caloris liquefacto, nitras potassæ addatur, et miscela bacillo ferreo per aliquot momenta versetur, dein metallum fusum in modulos ferreos effundatur.

Bismuthum hoc modo depuratum pro usu medico sat mundum prostat. Si autem plane purum requiritur, parandum est cum subnitrate bismuthi, qui, duplo pondere cremoris tartari commixtus, in crucibulo hassiaco operculato, calore rubro, liquandus est.

Metallum nitens, coloris ex albo-flavescentis, ponderis specifici 9,822. Acido nitrico plane solvatur et solutio, aqua affusa, pulvere albido turbida fiat. Hic pulvis apparatu Marshiano nulla arsenici vestigia præbeat.

BROMURETUM FERRI.

BROMETUM FERROSUM.

Ferrum bromatum.

FeBr.

R. Bromi . . . . part. 1
Aquæ destillatæ . . . . » 5
Limaturæ ferri quantum sufficit.

Limatura ferri et aqua in lagenam immissis, sensim adjice bromum et, vase bene clauso interdumque versato, sepone donec ferri pars major soluta sit et liquor colorem subviridem induerit. Filtra liquoremque limpidum in patina ferrea celeri evaporatione ad siccitatem redige.

Massa luteo-fusca, deliquescens, saporis styptici, ferruginosi, reactiones ferri et bromi exhibens.

CARBO LIGNI DEPURATUS.

Carbo vegetabilis præparatus.

R. Ramorum Populi excorticatorum quantum velis.

Lignum in frustula concisum et siccatum in crucibulo vel vase ferreo clauso, igne fortiori candescat, donec fumus et vapores penitus exire desinant.

Post refrigerationem, carbo in vase aqua repleto per tres dies immergatur, aqua sæpius renovata; dein siccatus, in pulverem tenuissimum redigatur vase clauso servandum.

Pulvis nigerrimus, levis, insipidus, salibus solubilibus, empyreumate nec non maxima ex parte hydrogenio carbonato liberatus.

CARBO OSSIUM DEPURATUS.

Carbo animalis præparatus.

R. Ossium ustorum nigrorum quantum velis.


Cum aqua fontana acidi chlorhydrici tanta quantitate commixta, ut liquidum carboni ossium additum, Laccam cæruleam fortiter rubro tingat, iterata vice digere, quamdiu colatura, liquore ammonii caustici neutralisata, oxalate potassæ soluto præcipitetur.

Residuum perfecte ablutum et siccatum, in catino hassiaco aut in vase ferreo tecto, calefiat quoad vapores emittere cessaverit.

CARBONAS AMMONIÆ.

SESQUICARBONAS AMMONICUS.

Ammonium carbonicum. Subcarbonas ammoniæ. Sal alcali volatile. Alcali volatile concretum.



$$2(NH^3, HO), 3CO^2 = 2NH^4O, 3CO^2.$$

R. Chlorhydratis ammoniæ pulverati . . . . part. 2
Cretæ siccæ pulveratæ. . . . . » 3

Diligenter ac separatim siccata et accurate mixta immittantur in retortam lapideam colli et orificii amplioris, vix pro dodrante replendam. Retortam in furnum reverberatorium impone et, aptatis excipulis elongatis inter se rite conjunctis nec non recipiente, juncturis probe clausis, fiat sublimatio, igne primum leni, tum sensim aucto, donec in recipiente refrigerato sal non amplius sublimetur. Sublimatum serva in vasis clausis.

Sint frustula compacta, dura, alba, texturæ crystallinæ spongiosæ, odoris ammoniacalis penetrantis. Igne plane avolent. In aquæ duplo solvantur, in alcohole vero fortiori insolubilia. Aëri exposita in bicarbonatem ammoniæ sensim mutantur. Solutio aquosa acido nitrico saturata neque salibus baryticis, neque nitrate argenti, neque aqua hydrosulphurata, præcipitatum gignat. Adulterationem cum ammonio hypo-sulphuroso monstrat solutio argenti nitrici, quum solutione carbonatis ammoniæ addita, præcipitatum efformat primo album, mox sub agitatione fuscescens.

CARBONAS AMMONIÆ PYRO-OLEOSUS.

CARBONAS AMMONICUS PYRO-OLEOSUS.

Ammonium carbonicum pyro-oleosum. Subcarbonas ammoniæ pyro-animale. Sal volatile cornu cervi.

R. Carbonatis ammoniæ. . . . . part. 20
Olei pyro-animalis. . . . . » 1

Probe mixta in retortam vitream collo amplo instructam, ingerantur et, annexis pluribus excipulis inter se rite conjunctis, fiat sublimatio. Apparatu refrigerato, sal siccum e collo retortæ et excipulis exemtum serva in lagunculis bene clausis, loco obscuro.

Massa albo-flavescens, texturæ crystallinæ, odoris penetrantis ammoniacalis simulque empyreumatici, in binis aquæ partibus solubilis, calore omnino volatilis. Aëri exposita nigrescit, tunc denuo sublimetur.

Nota. Pro usu medico adhiberi quoque potest carbonas ammoniæ pyro-oleosus venalis, dummodo iterata sublimatione, carbone vegetabili admixto, ab olei empyreumatici maxima parte depuretur.

CARBONAS AMMONIÆ PYRO-OLEOSUS LIQUIDUS.

CARBONAS AMMONICUS PYRO-OLEOSUS LIQUIDUS.

Ammonium carbonicum pyro-oleosum liquidum. Subcarbonas ammoniæ pyro-animale liquidus. Spiritus cornu Cervi.

R. Carbonatis ammoniæ pyro-oleosi . . . part. 200
Aquæ destillatæ . . . . » 800

Solve, solutumque filtra et serva lagenis probe clausis, loco obscuro reponendis.

Liquidum hyalinum, flavescens, odoris ammoniacalis empyreumatici, ponderis specifici 1,05—1,06.

CARBONAS CALCIS DEPURATUS.

CARBONAS CALCICUS.

Subcarbonas calcis depuratus. Calcaria carbonica. Creta præparata.

CaO, CO^2.

R. Cretæ albæ pulveratæ quantum velis.

Cretam immitte in amplam pelvim cum aquæ decuplo, spatulaque lignea bene permove ut lac præbeat. Concessa paululum quiete, liquidum album turbidum supernatans effunde in aliam pelvim. Cretæ residuæ alteram aquam affunde et, post strenuam agitationem, decanthetur aqua turbida et repetatur operatio donec aqua cretæ affusa vix lactescat. Seponantur liquores turbidi commixti, ut fiat sedimentum, quod ab aqua supernatante per siphonem liberatum, leni calore siccetur. Massa collecta in facie inferiori cultro abradatur ut particulæ arenosæ vel graviores a creta separentur.

Sit pulvis niveus, insipidus, in acido chlorhydrico diluto solubilis.

Eodem modo obtinentur :

BOLUS ARMENÆ PRÆPARATUS.

CORALLIA RUBRA PRÆPARATA.

LAPIDES CANCRORUM PRÆPARATI.

LAPIS CALAMINARIS PRÆPARATUS.

TUTHIA PRÆPARATA.

CARBONAS FERRI.

Subcarbonas ferri. Ferrum carbonicum. Ferrum oxydatum fuscum. Crocus martis aperitivus.

R. Sulphatis ferrosi crystallisati ac puri . . part. 5
Carbonatis sodæ crystallisati. . . . . . » 6

Seorsim in

Aquæ destillatæ sufficiente quantitate

solve, et filtra. Solutionem sulphatis ferri cum solutione carbonatis sodæ, per partes et continue agitando in lagena misce, liquoremque turbidum, lagena rite clausa, sepone ut præcipitatum fiat. Hoc, quamdiu aqua abluens alcalina est, vel addito ferrocyanureto potassii cæruleo colore tingitur, decanthatione sedulo abluatur et dein lenissimo calore siccetur. Serva in lagena bene obturata.

Sit pulvis subtilissimus, plus minusve fuscus, saporis expers, in acido chlorohydrico frigido plane cum effervescentia solubilis. Solutio, liquore ammoniæ causticæ supersaturata et filtrata, liquidum cæruleum non præbeat.

CARBONAS MANGANESII.

CARBONAS MANGANOSUS.

MnO, CO^2.

R. Peroxydi manganici quantum velis,
Acidi sulphurici puri quantum satis.

Peroxydum cum acido sulphurico in pultem redactum, in crucibulo hassiaco ad rubedinem usque excandescat. Residuum refrigeratum et in pulverem extenuatum aqua exhauriatur fervida, et liquori filtrato, ope acidi sulpho-hydrici a metallis nocivis, si adsunt, liberato, affunde

Carbonatem sodæ solutum

quamdiu præcipitatum enascitur. Sedimentum sedulo ablutum in acido acetico solve, et solutio ebulliat quamdiu oxydum ferricum dejiciatur. Tandem solutioni filtratæ rursus addatur carbonas sodæ solutus quantum necesse, ac sedimentum obtentum, rite edulcoratum et siccatum, servetur vasis probe clausis.

Pulvis albidus vel leviter flavescens, in acidis fervescendo solubilis. Solutio cum ferrocyanureto potassii sedimentum album et cum potassa hydrosulphurata roseum, edat.

BI-CARBONAS POTASSÆ.

BICARBONAS KALICUS.

Kali carbonicum acidulum. Carbonas potassæ completum.

$KO, HO, 2CO^2. = KO, CO^2 + HO, CO^2$.

R. Carbonatis potassæ puri quantum velis.

Solve in

Aquæ puræ quantitate æquali

et solutioni gas acidum carbonicum immitte. Ideo liquidum in lagenam

defunde bitubulatam, in quam, per unum ex ostiis, tubum demittes late patentem, qui inferius solutionis superficiem contingat, superius vero cum apparatu gas acidum carbonicum evolvente communicet. Ut autem gas carbonici absorptio promoveatur, tubus, quo gas excedens per alterum lagenæ ostium in aërem vehitur, hydrargyro immergatur. Operationi finem impone quum in liquore formari desierint crystalli, quas collectas ac rite ablutas sicca et vase clauso serva.

Crystalli prismaticæ, in aëre non humescentes, saporis subalcalini, in aquæ partibus quatuor, temperatura 15°, solubiles. Solutio aquosa chartam exploratoriam flavam non mutet, nec liquore sulphatis magnesiæ, nec aqua hydrosulphurata turbetur. In solutione bichlorureti hydrargyrici præcipitatum album, nec flavum, gignat.

CARBONAS POTASSÆ DEPURATUS.

CARBONAS KALICUS DEPURATUS.

Kali carbonicum. Subcarbonas potassæ. Sal tartari.

R. Carbonatis potassæ venalis pulverati . . part. 4
Aquæ pluvialis. . . . . » 3

Commisce, et miscelam subinde agitandam per aliquot dies sepone, amplissima superficie aëri expositam. Percolatum dein lixivium in vase ferreo probe mundato ad siccitatem usque evapora, curando ut sub finem ferveat vasis fundus, et massa continuo agitetur ne vasi adhæreat sal, quem mox exemtum in lagenam probe claudendam immitte.

Sit niveus, ab acido silicico, alumina, calce, metallis, salibusque alienis, quantum fieri potest, liber; quod saturatione ope acidi nitrici (qua silicea separatur), ammonia caustica, ammonia hydrosulphurata, nec non nitrate barytæ exploratur.

CARBONAS POTASSÆ PURUS.

CARBONAS KALICUS PURUS.

KO,CO^2.

R. Cremoris tartari depurati puri et pulverati. part. 6
Nitratis potassæ puri pulverati. . . . . . » 3

Seorsim bene siccata et dein mixta in ferream sartaginem sat amplam sic ingere, ut formam conicam referant. Tum ferro candente coni cacumen incende et, deflagratione peracta, cave ne particula ulla flammis intacta remaneat. Massæ carbonaceæ residuæ post refrigerationem affunde

Aquæ destillatæ frigidæ . . . . part. 4

et sepone, subinde agitando, per aliquod tempus. Filtra sine elutione liquoremque decolorem in vase argenteo ad perfectam siccitatem evapora.

Contritum residuum adhuc calens statim in vas vitreum calefactum et probe claudendum immitte.

Sit pulvis niveus, in aëre facile deliquescens, in aquæ parte æquali solubilis. Acido nitrico diluto neutralisatus nec nitrate argenti, nec ammonio liquido, nec aqua hydrosulphurata præcipitetur.

BI-CARBONAS SODÆ.

BI-CARBONAS NATRICUS.

Natrum carbonicum acidulum. Carbonas sodæ completum.


$NaO,HO,2CO^2 = NaO,CO^2 + HO,CO^2$.

R. Carbonatis sodæ puri et crystallisati quantum velis.

Carbonatem sodæ in frustula minora diffractum supra discos ligneos foraminibus multis pertusos, sub testu vitreo vel in spatio undique rite clauso, cui gas acidum carbonicum immittitur expone ad plenam saturationem. Quum sal saturatur, fit opacus ac simul novem ex decem aquæ crystallisationis partibus amittit; tandem bicarbonatem intra chartam bibulam sicca, et lagenis probe claudendis serva.

Sal albissimus, haud pellucidus, saporis salsi vix alcalini, in aëre non fatiscens; colorem flavum chartæ exploratoriæ non mutet, nec solutio frigida sulphate magnesiæ turbetur. Rejiciatur bicarbonas sodæ venalis metallis aut salibus alienis inquinatus.

CARBONAS SODÆ ANHYDRUS.

CARBONAS NATRICUS EXSICCATUS.

Natrum carbonicum depuratum siccum.



NaO,CO^2.

Carbonatem sodæ depuratum in capsula porcellanea, sub continua agitatione, calefac quamdiu vapores eliciuntur, et in vasis vitreis apprime clausis serva.

CARBONAS SODÆ DEPURATUS.

CARBONAS NATRICUS PURUS.

Natrum carbonicum depuratum. Subcarbonas sodæ. Sal sodæ crystallisatus.


$NaO,CO^2 + 10\,HO$.

R. Carbonatis sodæ venalis,
Aquæ bullientis, partes æquales.

Solutio calida filtretur et evaporando ad trientem redigatur. Tum, vase aquæ frigidæ immerso, agitetur liquidum donec refrixerit, et sal sub forma massæ crystallinæ pulverulentæ secernatur. Crystalli dein decanthatione

separatæ infundibulo immittantur, ut aqua destillata, parce et interdum affusa, abluantur, quamdiu liquidum filtratum, acido nitrico saturatum, nitrate argentico aut nitrate barytico turbatur. Crystalli siccatæ serventur in vase clauso, loco frigido.

Sit albus, in binis aquæ partibus solubilis, et ab omni sale alieno liber, quod, uti supra dictum est, nitrate baryi, nitrate argenti et acido sulpho-hydrico, in solutione acido nitrico saturata, est dignoscendum.

CERATUM, COLD-CREAM DICTUM.

R. Cerati simplicis	partes	550
Olei Amygdalarum dulcium	»	150
Aquæ destillatæ.	»	298
Tincturæ Benzoes	»	1,5
Olei Rosarum.	»	0,5
		1000

Cerato primum admisce, continue terendo, oleum Amygdalarum et aquam destillatam, dein adjice tincturam Benzoes et oleum Rosarum.

CERATUM CUM ACETATE PLUMBI.

Ceratum Saturni.

R. Cerati simplicis	part.	490
Olei Amygdalarum dulcium.	»	240
Aquæ destillatæ.	»	240
Subacetatis plumbi soluti.	»	30
		1000

Misce terendo ceratum et oleum, dein adde sensim aquam acetate plumbi antea mixtam. Paretur ex tempore.

CERATUM CUM AQUA.

Ceratum Galeni.

R. Cerati simplicis.	part.	500
Olei Amygdalarum.	»	200
Aquæ Rosarum	»	300
		1000

Admisce cerato oleum et aquam Rosarum leniter calentem.

CERATUM SIMPLEX.

Ceratum simplex amygdalinum.

R. Ceræ albæ.	part.	250
Olei Amygdalarum dulcium.	»	750
		1000

Balneo vaporis liquata et ab igne remota agitentur donec refrixerint.

Sit album, odoris non rancidi.

Eodem modo paratur

CERATUM COMMUNE ex oleo Olivarum et Cera flava.

CHLORAS POTASSÆ.

CHLORAS KALICUS.

Kali chloricum. Kali muriaticum oxygenatum. Oxymurias potassæ.

KO, ClO^5.

R. Carbonatis potassæ puri . . . . part. 2
Calcis bonæ notæ . . . . » 1

intime mixtis inter agitandum adde

Aquæ puræ . . . . » 10

et in liquorem bullientem gas chlori quantum necesse est ad plenariam saturationem immitte. Solutio tum fervida filtretur, ac crystalli refrigeratione vel evaporatione concretæ et aqua frigida ablutæ, nova crystallisatione depurentur. Sat largus, ne obstruatur, seligendus est tubus gas vehens.

Crystalli sæpius lamellares, albæ, nitidæ, in aëre immutabiles, in aqua frigida parum, in aquæ fervidæ autem tribus partibus solubiles. Prunarum combustionem sine decrepitatione augent. Solutio aquosa liquore nitratis argenti vix turbetur.

Nota. Chloras potassæ venalis in usum medicum adhiberi potest, dummodo solutione in aquæ fervidæ triplo pondere et crystallisatione depuretur.

CHLORHYDRAS AMMONIÆ DEPURATUS.

CHLORETUM AMMONICUM.

Hydrochloras ammoniæ. Ammoniacum muriaticum. Murias ammoniæ purum. Sal ammoniacum depuratum.

$NH^3, HCl = NH^4Cl$.

R. Salis ammoniaci venalis . . . . part. 1
Aquæ destillatæ bullientis . . . . » 1

Solutio calide filtrata ad crystallisationem seponatur.

Crystalli albæ, subpellucidæ, in aëre constantes, saporis salini acris, pungentis, ab oleo salibusque metallicis omnino liberæ. Igne penitus avolent.

CHLORHYDRAS MORPHINÆ.

CHLORETUM MORPHICUM.

Morphium hydrochloricum. Morphium muriaticum.

$C^{34}H^{18}NO^6, HCl$.

R. Morphinæ pulveratæ quantum libet,
Acidi chlorhydrici puri quadruplo aquæ pondere diluti, quantum sufficit.

Acido ope balnei vaporis calefacto adde per vices morphinam quamdiu solvatur. Liquorem fervidum filtra et ad crystallisandum sepone. Crystallos collectas inter linteum exprime et, lenissimo calore super patinam exsiccatas, in vase probe clauso serva.

Sal decolor, peramarus, neuter, in alcohole et aquæ fervidæ parte una, frigidæ vero partibus sedecim solubilis, acidi chlorhydrici et morphinæ reactiones præbens. Quod inquinationes attinet vide MORPHINA.

CHLOROFORMUM.

PERCHLORETUM FORMYLICUM.

C^2H, Cl^3.

R. Hypochloritis calcis	part.	10
Calcis vivæ bonæ notæ	»	5
Aquæ	»	40
Alcoholis 26° (85° C.)	»	1,5

Aqua in cucurbitam destillatoriam infusa et ad gradus 40 calefacta, primo diluantur calx et hypochloris calcis; dein addatur alcohol cunctaque intime misceantur. Clauso tum alambico excipuloque vitreo apparatui refrigeratorio aptato, miscela ebulliat, et quum destillatio incipit, ignis amoveatur. In excipulo colliguntur duo liquores quorum gravior, chloroformum, guttularum olei ad instar stillans, imum petit. Hoc ab aqua innatante separato, in cucurbita cum residuo misce

Aquæ	part.	10

quibus, quando temperatura ad 40° descenderit, agitando adde primum

Calcis vivæ	part.	5
Hypochloritis calcis	»	10

dein liquorem a chloroformo jam obtento decanthatione separatum et cum una alcoholis parte mixtum. Tunc rursus instituatur destillatio, quæ eodem modo, tertia imo quarta vice, dummodo cucurbitæ capacitas ferat, renovetur.

Chloroformum collectum solutione alcalina abluatur et, cum chlorureto calcii anhydro sæpius conquassatum, lenissimo calore, semel vel bis, si necesse est, destilletur ut purgetur, lagena apprime clausa caute servandum.

Liquidum limpidum, aqua gravius, incolor, odoris grati ætherei, saporis dulcis,

ponderis specifici 1,48, temperatura 19°. Calore 61° ebullit. Incensum vapores acidi chlorhydrici flammamque viridem et fuliginosam spargit. Cum æthere et alcohole miscitur. Acido sulphurico concentrato mixtum non nigrescat. Chartam Laccæ cæruleæ ne mutet, nec albumen ovi coagulet, alioquin alcoholis indicium.

PROTO-CHLORURETUM ANTIMONII s. STIBII LIQUIDUM.

CHLORIDUM STIBIOSUM.

Antimonium chloratum. Murias antimonii s. *stibii. Butyrum antimonii liquidum.*



$SbCl^3$.

R. Sulphureti antimonii depurati et pulverati. . . part. 1
Acidi chlorhydrici liquidi. . . . . » 4


Sulphuretum immitte cum acido in retortam vitream sat amplam ut ad dimidium vix impleatur. Collo retortæ aptetur tubus vitreus quo gas hydrosulphuratum in auras rejiciatur, vel in apparatu Woulfiano ad officinalia quædam paranda accommodato, recipiatur. Retortam leniter calefac et ignem dein auge ad ebullitionem usque, per semihoram protrahendam. Liquorem refrigeratum in capsulam porcellaneam decapula et calore consume donec pondus specificum sit 1,40. Tunc, in vase vitreo longo bene obturando, liquidum sæpius turbidum per aliquot dies sepone, tandem a sedimento decanthatum vitro bene clauso serva.

Liquor oleosus, limpidus, subflavescens, aëre vapores albos suffocantes emittens, ponderis specifici 1,40—1,44. Cum aqua excedente præcipitatum album et cum acido sulpho-hydrico aurantiacum exhibeat.

PER-CHORURETUM AURI.

CHLORETUM AURICUM.

Aurum chloratum. Murias auri. Aurum muriaticum.



Au^2Cl^3.

R. Auri puri . . . . part. 1
Acidi nitrici 36° . . . . » 1
Acidi chlorhydrici . . . . » 3 s. Q. S.

Auro et acido chlorhydrico in vase porcellaneo leniter calefactis, acidum nitricum guttatim adde, donec metallum plane evanuerit. Tunc, liquidum ad siccitatem evapora, cavendo ne calore nimio chloretum decomponatur. In vasis vitreis siccis et apprime clausis a luce remotis servetur.

Massam exhibet e luteo rubram, aëre humido deliquescentem, in aqua et spiritu vini solubilem. Igne resolvatur ita ut nil nisi aurum purum supersit.

PER-CHLORURETUM AURI LIQUIDUM.

R.	Perchlorureti auri	part.	100
	Aquæ destillatæ	»	900
			1000

Solve et servetur liquor lagena vitrea bene clausa.

Sit limpidus, pallide luteus, ponderis specifici 1,04, et quantum fieri potest neuter. Ex eo sulphas ferrosus aurum metallicum sub forma pulveris subfusci præcipitet.

CHLORURETUM AURI ET SODII.

CHLORETUM SODICO-AURICUM.

Aurum muriaticum. Aurum chloratum natro-natum. Sal auri Figuieri.



R. Perchlorureti auri,
Chlorureti sodii, utriusque partes æquales.

Simul in sufficiente aquæ copia solvantur et liquor, igne leni, in vase porcellaneo ad siccum evaporetur. Massa residua vitro probe claudendo servanda.

Sal aurei coloris, in aëre perstans, in aqua admodum solubilis. Ammonia liquida et ferro-cyanureto potassico dignoscitur cuprum immixtum.

CHLORURETUM BARYI.

CHLORETUM BARYTICUM.

Baryum chloratum. Murias barytæ. Baryta muriatica.



R.	Sulphatis barytæ puri subtilissime pulverati	part.	1
	Carbonatis potassæ puri, siccati et pulverati	»	1

Pulveres accurate mixtos, in crucibulo figulino, igne sensim aucto donec vix candeant, expone; cave ne fluant, sæpius move, et per semihoram ignem ad gradum caloris rubri fere albi protrahe. Massa dein refrigerata magna aquæ bullientis copia abluatur, et pulveri residuo, duplici aquæ quantitate diluto, admisceatur

Acidum chlorhydricum liquidum,

donec effervescentia cesset, ita tamen ut pars aliqua carbonatis barytæ intacta seu residua remaneat. Liquor turbidus ad ebullitionem calefactus et colatus evaporetur ac, in loco frigido, crystallisandus seponatur.

Crystalli prismaticæ tabulares, saporis salini amari, ingrati, in aquæ frigidæ partibus 2,3, fervidæ vero 1,3 solubiles.

CHLORURETUM CALCIS.

HYPOCHLORIS CALCICUS.

Chloris calcicus. Calcaria chlorosa s. *hypochlorosa.*

R. Calcis vivæ optimæ . . . . part. 5
Aquæ . . . . » 2

In calcem aqua sensim affusa extinctam cribroque setaceo a partibus heterogeneis liberatam, gas chlorum, quamdiu absorbeatur, lente immitte, sedulo cavens ne massa calefiat. Chlorum, antequam in calcem transmittatur, aqua pauca abluendum est, et tubus qui gas vehit aptandus infundibulo in fundo vasis elongati, in quod calx ingeritur, obverse posito. Peracta operatione, pulverem in vasis siccis apprime clausis, loco obscuro ac frigido serva.

Sit pulvis albus, siccus, chlorum redolens, circiter dimidia ex parte in aquæ octuplo solubilis; gradibus 90—100 chlorometri respondeat, ita ut pars una cum aquæ partibus centum diluta, idem fere volumen liquoris chlorometrici, cum iodureto potassico parati et sufficienter acidulati, post anteactam colorationem, perfecte decoloret.

CHLORURETUM CALCIS SOLUTUM FORTIUS.

HYPOCHLORIS CALCICUS SOLUTUS FORTIOR.

R. Chlorureti calcis solidi . . . . part. 1
Aquæ destillatæ. . . . . » 10

Chloruretum calcis in mortario vitreo aut porcellaneo cum aqua per vices affusa, trituratione probe misceatur, miscelaque in lagenam vitream bene claudendam immissa et per horæ spatium sæpius agitata, seponatur per aliquot dies; liquor limpidus tunc decanthetur et servetur in vitro bene clauso, loco obscuro et frigido.

Sit limpidum, et sextuplum volumen liquoris chlorometrici cum iodureto potassii parati, decoloret. Contineat igitur sextuplum chlori volumen.

CHLORURETUM CALCIS SOLUTUM DEBILE.

R. Chlorureti calcis soluti fortioris. . . . . part. 1
Aquæ puræ . . . . » 4

Misceantur.

Nota. Chlorureto calcis soluto sine designatione præscripto, solutio debilior dispensetur.

PROTO-CHLORURETUM FERRI.

CHLORETUM FERROSUM.

Ferrum muriaticum oxydulatum. Proto-murias ferri.



$FeCl + 4HO.$

R. Limaturæ Martis vel clavorum ferreorum. . part. 1
Acidi chlorhydrici. . . . . » 6


Ferrum immitte in lagenam vel cucurbitam vitream et affunde per vices acidum chlorhydricum purum. Quum gas hydrogenium sponte evolvi cessaverit, caloris adminiculo actioni chemicæ succurre, curans ut limaturæ pars aliqua sub finem intacta supersit. Post brevem ebullitionem, liquorem fervidum et subviridem per filtrum cito trajectum, in patina porcellanea igni admotum, quam citissime ad siccum redige. Vasis siccis apprime clausis serva.

Massa salina e cæruleo pallide virescens, saporis styptici, aqua et spiritu vini solubilis, aëris contactu oxygenium attrahens, indeque colorem flavum induens.

SESQUI-CHLORURETUM FERRI.

CHLORETUM FERRICUM.

Perchloruretum ferri. Ferrum muriaticum rubrum. Sal Martis muriaticus.



$Fe^2Cl^3 + 12 HO.$

R. Limaturæ ferri quantum velis,
Acidi chlorhydrici concentrati quantum sufficit.

Limaturæ in vas vitreum sat amplum ingestæ affunde sensim acidum chlorhydricum donec ferrum, juvante blando calore si opus est, solutum sit; cola et, addita acidi prius adhibiti parte dimidia, incalescat liquor ita ut non penitus ebulliat; instilletur guttatim ac per vices acidum nitricum usque dum vapores nitrosi rutilantes non amplius emanent liquidumque colore rubro fulvo tingatur. Solutionem chloreti ferrici ea ratione paratam filtra et evapora, calore lenissimo e balneo aquæ, ad syrupi consistentiam vel donec guttula, lapidi frigido instillata, penitus concrescat. Concentratus liquor stet ad crystallisationem loco tepido, crystallique serventur in loco obscuro, vasis vitreis apprime claudendis.

Crystalli aurantiacæ, aciculares, saporis adstringentis acerbi; igne sublimantur et aëre contactæ liquescunt; aqua, spiritu vini ac æthere facile solvuntur. Solutio cum ammonio liquido excedente præcipitatum fuscum edat, nec liquor filtratus colorem cærulescentem exhibeat.

CHLORURETUM FERRI AMMONIACALE.

Ammoniacum hydrochloratum ferratum. Murias ferro-ammoniacale. Flores salis ammoniaci martialis.

R.	Chlorhydratis ammoniæ	part.	12
	Chloreti ferrici	»	1

Probe mixta solvantur in aquæ quantitate sufficiente; solutionem filtratam igne leni et sub continua agitatione ad siccitatem redige; tum massam siccatam in pulverem tenuissimum tere, et in lagena probe claudenda serva.

Sit pulvis aurantiacus, in aqua plane solubilis, ad aërem humescens.

SESQUI-CHLORURETUM FERRI SOLUTUM.

Liquor ferri muriatici oxydati. Murias ferri liquidum. Oleum Martis.

R. Sesquichlorureti ferri quantum velis.

Solve in aquæ sufficienti vel pari fere copia ut solutio sit ponderis specifici 1,48 (47°). Serva a luce in vitro bene clauso.

Liquor intense rubro-fuscus, limpidus.

BI-CHLORURETUM HYDRARGYRI.

Vide : Hydrargyrum sublimatum corrosivum.

PROTO-CHLORURETUM HYDRARGYRI.

Vide : Hydrargyrum dulce.

CHLORURETUM HYDRARGYRO-AMMONICUM s. AMMONIACALE.

Vide : Hydrargyrum præcipitatum album.

CHLORURETUM SODÆ LIQUIDUM.

HYPOCHLORIS NATRICUS SOLUTUS.

Liquor natri chlorosi. Liquor sodæ chlorisatæ. Liquor Labarraque.

$$2\,(NaO,Cl)+Aq=NaCl+NaO,ClO+Aq.$$

R.	Chlorureti calcis sicci	part.	1
	Carbonatis sodæ crystallisati	»	2
	Aquæ destillatæ	»	20

Chloruretum calcis cum dimidia aquæ præscriptæ copia dilue et carbonatem sodæ in aqua residua solve; liquores inter agitandum misce in

lagena obturata. Post viginti quatuor horas liquidum limpidum decantha, ac sedimentum in filtro chartæ bibulæ collectum aquæ partibus decem ablue. Liquorem ablutione obtentum liquori decanthato admisce, servaque vasis clausis, in loco obscuro ac frigido.

Sit limpidum, chlorum redolens et tria chlori volumina contineat.

CHLORURETUM SODII DEPURATUM.

CHLORETUM NATRICUM.

NaCl.

R. Chlorureti sodii venalis quantum velis,
Carbonatis sodæ quantum satis.

Chlorureto sodii triplo aquæ pondere soluto instilla guttatim carbonatem sodæ solutum quamdiu turbatur. Liquorem filtratum evapora ut fiant crystalli, quæ a liquore innatante separatæ et leviter ablutæ siccentur.

Crystalli albæ, in aquæ partibus quatuor solubiles. Solutio nec acido tartrico, nec chlorureto baryi, nec carbonate sodæ præcipitetur; nec ferro-cyanureto potassii, aqua hydro-sulphurata aut aqua chlori colorem alienum induat.

CHLORURETUM ZINCI.

CHLORETUM ZINCICUM.

Hydrochloras zinci. Murias zinci. Zincum muriaticum s. *chloratum. Butyrum zinci.*

Zn Cl.


R. Zinci in frustulis. . . . . part. 20
Acidi nitrici. . . . . » 1
Acidi chlorhydrici puri quantum sufficit,
Oxydi zincici quantum satis.

Zincum solve in acido chlorhydrico et, affuso acido nitrico, liquor ad consistentiam syrupi spissioris evaporetur. In aqua tum massam liqua, et solutioni bullienti adjice per vices oxydi zincici partem circiter unam seu tamdiu quamdiu oxydum ferricum separetur. Dein liquor filtratus denuo ad syrupi spissioris consistentiam evaporetur, ac statim ut refrigerando induruerit, massam in vitrum probe siccatum et apte claudendum immitte ac caute serva.

Sit e cinereo album, deliquescens, unguinosum, in spiritu vini et æthere solubile; calore 100° liquatur. Sulpho-hydrate ammoniæ sicut et cyanureto ferroso-kalico soluto præcipitatum niveum, non vero flavum nec e fusco nigrum, efficiat.

CITRAS PEROXYDI FERRI SOLUTUS.

CITRAS FERRICUS.



$$Fe^2O^3,C^{12}H^5O^{11}+Aq=Fe^2O^3,\bar{C}i+Aq.$$

R. Acidi citrici	part.	1
Aquæ destillatæ fervidæ	»	6
Peroxydi ferri hydratici recenter parati	»	2

Acido citrico aqua ebulliente soluto ingeratur per vices ferrum oxydatum hydraticum quamdiu solvitur, imo donec abundet; filtra et leni calore evapora usque dum 24° areometro indicet liquor, cujus tunc pars una tertiam partem citratis ferrici continet.


Citras ferricus *solidus* obtinetur ex liquore præcedenti blando calore ad siccitatem exhausto.

Crystalli squammiformes, hyacinthinæ, aqua maxime solubiles, chartam cæruleam rubro tingentes.

CITRAS MAGNESIÆ.

CITRAS MAGNESICUS.

Magnesia citrica.



$$3MgO,C^{12}H^5O^{11}+Aq.=3MgO,\bar{C}i+Aq.$$

R. Acidi citrici crystallisati	part.	10
Aquæ destillatæ	»	2
Magnesiæ ustæ	»	3


Acido, in capsula porcellanea balneo vaporis exposita, aqua liquefacto ingere paulatim magnesiam, ac intime misce; capsula tum ab igne remota, massa brevi solidescit; siccata dein et pulverata in vase clauso servetur.

Sal neuter vel vix acidus; aqua solutus post aliquot horas citratem insolubilem deponit.

CITRAS QUININÆ.

CITRAS CHINICUS.

Chinium citricum.



$$3(C^{38}H^{24}N^2O^4,HO),C^{12}H^5O^{11}+Aq.=3(\overset{+}{Q},HO),\bar{C}i+Aq.$$

R. Acidi citrici aqua soluti quantum velis,
Quininæ puræ quantum sufficit.

Solutioni acidi citrici calefactæ adde paulatim quininam usque dum charta probatoria cærulea colorem rubrum a liquore vix assumat, dein solutionem calore concentratam ad crystallisandum sepone.

Prismata exhibet acicularia, alba, saporis amari, aqua ægre solvenda.

Nota. Obtinetur etiam citras quininæ ex solutione fervida sulphatis quininæ, ope solutionis citratis sodæ subacidi decomposita.

CITRAS QUININÆ ET FERRI.

CITRAS FERRICO-CHINICUS.

R. Citratis peroxydi ferri . . . . part. 4
— quininæ. . . . . » 1

Solve in aquæ calefactæ quantitate sufficiente; liquorem fervidum filtra et ad consistentiam syrupi evapora; massam dein super patinas porcellaneas expansam leni calore in furno exsicca.

Sal duplex, reactiones ferri et quininæ exhibens.

CITRAS SODÆ.

CITRAS NATRICUS.

Natrum citricum.



$$3NaO,C^{12}H^{5}O^{11}+11HO.=3NaO,\bar{Ci}+11HO.$$

R. Carbonatis sodæ puræ. . . . . part. 1
Solve in
Aquæ fervidæ. . . . . » 6

Solutioni fervidæ sensim sensimque adde
Acidi citrici quantum satis

ut soda penitus neutralisetur. Liquorem calidum cola et sufficienter concentratum sepone ut concrescant crystalli, quas siccatas in vasis obturatis serva.

Crystalli prismaticæ, rhombicæ, pellucidæ, decolores, saporis salini haud ingrati.

COLLODIUM s. COLLODION.

PYROXYLUM ÆTHERE SOLUTUM.

R. Lanuginis gossipii quantum libet.

Immitte, ita ut plane immergatur, in miscelam quæ constet ex
Nitratis potassæ . . . . part. 2
Acidi sulphurici concentrati. . . . . » 3

Post circiter duas horas, lanuginem in pyroxylum mutatam extrahe; spathula vitrea fortiter exprime; dein repetitis vicibus multa aqua ablue et, temperatura 80° haud excedente, caute sicca.

Quibus peractis, solve

Pyroxyli	part.	31
in miscela paranda cum		
Ætheris sulphurici	»	889
Alcoholis.	»	80
		1000

Servetur vase probe clauso.

Nota. Quum collodii partibus 93 adduntur Terebinthinæ coctæ partes 6 et pars una olei Ricini, collodium exsiccatum minus riget faciliusque renititur.

CONSERVA CASSIÆ.

Cassia cocta. Pulpa Cassiæ.

R. Extracti Cassiæ.	part.	500
Sacchari pulverati	»	328
Aquæ fontanæ.	»	172
		1000

Misce saccharumque solve balneo vaporis.

CONSERVA COCHLEARIÆ.

R. Foliorum Cochleariæ recentium	part.	25
Sacchari pulverati	»	75
		100

Simul contunde in mortario porcellaneo, ut fiat massa homogenea, in loco frigido servanda.

Simili modo et eadem dosi parentur ex tempore :

CONSERVÆ Beccabungæ et Nasturtii.

Nota. Hæc præparata præscribere caveat Medicus, extra eam anni tempestatem qua plantas recentes colligere licet, quia brevi tantum tempore asservari queunt.

CONSERVA CYNORRHODI.

Rob cynosbatos.

R. Fructuum Cynorrhodi fere maturorum quantum velis.

Exemptis seminibus pilisque interioribus, coquantur per semihoram balneo vaporis, vaporum perfluentium ope, et pulpa per cribrum setaceum extrahatur. Sume

Hujus pulpæ.	part.	400
Sacchari pulverati	»	600
Aquæ quantum satis.		

Solve saccharum balneo mariæ ut sint conservæ partes 1000. Effunde conservam calidam in vasis vitreis et loco frigido serva.

CONSERVA JUNIPERI.

Rob Juniperi.

R.	Extracti Juniperi	part.	900
	Sacchari pulverati	»	100
			1000

Solve saccharum balneo vaporis.

CONSERVA ROSARUM RUBRARUM.

R.	Pulveris petalorum Rosarum rubrarum	part.	10
	Sacchari pulverati.	»	65
	Aquæ Rosarum	»	25
			100

Misce.

Simili modo et eadem dosi parentur ex tempore :

CONSERVÆ

Fumariæ ;
Hederæ terrestris ;
Helenii ;
Menthæ, et aliæ.

CONSERVA TAMARINDORUM.

Pulpa Tamarindorum.

R. Tamarindorum quantum velis.

Digere balneo mariæ, in vase porcellaneo vel figulino, cum aquæ pari pondere, donec satis emolliti fuerint ; dein massam tere per cribrum setaceum. Sume

Hujus massæ quantum sufficit ut insint pulpæ solidæ. .	part.	500
Sacchari pulverati	»	200

Misce et evapora balneo mariæ ut obtineantur conservæ partes 1000.

CYANURETUM AURI MEDICINALE.

CYANETUM AURICUM MEDICINALE.

Aurum cyanatum. Aurum cyanicum. Aurum hydrocyanicum.

R.	Auri puri laminati.	part.	1
	Aquæ regalis	»	3 s. Q. S.
	Cyanureti hydrargyri.	»	1,5.

Auro aqua regali soluto, infunde cyanuretum hydrargyri triplici aquæ destillatæ fervidæ pondere solutum. Liquor in balneo vaporis ad siccitatem evaporetur, et residuum, in pulverem redactum, misceatur cum

Aquæ destillatæ . . . . part. 12

Miscela dein seponatur et cyanuretum auri demissum separetur. Liquor decanthatus, addita

Cyanureti hydrargyri . . . . part. 1

denuo ad siccitatem evaporetur, residuumque rursus agitetur cum

Aquæ destillatæ . . . . part. 12

Ita nova cyanureti aurici deponitur copia quæ decanthatione excipitur. Quo facto, aqua abluatur omne cyanuretum auri collectum, quamdiu chlorureti hydrargyrici præsentia dignoscitur.

Necesse est ut liquor decanthatus, singulis vicibus, quum evaporatur, guttulis aliquot aquæ regalis aciduletur ne cyanuretum auricum colorem e flavo rubrum induat. Pulvis intra chartam bibulam siccatus loco obscuro servandus.

Sit coloris lutei, saporis expers, aqua nullomodo, solutione vero cyanureti potassii nec non ammonia caustica solubilis; igne decompositus aurum amittat purum, quod igitur in acido nitrico pondus suum non mutet.

CYANURETUM HYDRARGYRI.

CYANETUM HYDRARGYRICUM.

Hydrargyrum cyanatum. Hydrargyrum cyanicum s. hydrocyanicum. Hydrargyrum zooticum. Prussias hydrargyri.

HgCy.

R. Cyanureti ferroso-ferrici puri et pulverati (1). part. 2
Aquæ puræ. . . . . » 10
Peroxydi hydrargyri subtilissime pulverati et aqua calida abluti . . . . » 1

Cyanureto ferroso-ferrico, in vase vitreo seu porcellaneo, aqua mixto adde peroxydum hydrargyri, et coque interdum agitans. Si, post ebullitionem per horæ quadrantem protractam, liquor adhuc cæruleus est, novam sensim peroxydi hydrargyri copiam adde, donec bulliens rufescat, sive donec massa sit fusca. Tum, liquor calide filtratus refrigeratione cogatur

(1) Cyanuretum ferroso-ferricum venale, ut inserviat, ab alumina, ope acidi chlorhydrici, liberandum est.

in crystallos. Residuum denuo decem aquæ partibus incoquendum est, et liquidum filtratum, liquori a crystallis decapulato admixtum, evaporando et refrigerando in crystallos redigendum; quæ si non decolores prostant, novæ crystallisationi submittantur.

Sint crystalli prismaticæ, quadrangulares, albæ, in aquæ octo partibus, blando calore, sine residuo solubiles, flamma tubi ferruminatorii ex toto evanescentes.

CYANURETUM POTASSII.

CYANETUM KALICUM.

Hydrocyanas potassæ. Kalium cyanatum.

KCy.

R.	Ferro-cyanureti potassii pulverati. . . .	part.	10
	Acidi sulphurici destillati	»	5
	Aquæ destillatæ.	»	7

Sali retortæ vitreæ tubulatæ immisso miscela acidi et aquæ refrigerata infundatur et fiat calore leni destillatio, quamdiu prodit acidum cyanhydricum, quod per tubum vitreum incurvum sat largum, collo retortæ rite aptatum, in excipulum perducitur refrigeratum, cui inest solutio clara confecta ex

Alcoholis 33° (96° C.).	part.	10
Potassæ causticæ fusæ.	»	4

Quæ, destillatione peracta, excipulo inest massa salina, super linteum collecta, exprimatur et quam citissime siccata vase probe clauso servetur.

Solutio colata celeri evaporatione concentrata, dein in locum frigidum seposita, novam cyanureti sed minus puri copiam præbet.

Massa alba, deliquescens, vel crystalluli decolores, in tubo vitreo igni expositæ non nigrescentes. In aqua solutæ odorem spargant acidi cyanhydrici; solutio sit incolor; acidis absque fervescentia decomponatur et, infuso liquore salis plumbici, non nigrescat.

CYANURETUM ZINCI.

CYANETUM ZINCICUM.

Zincum cyanatum. Zincum hydrocyanicum seu borussicum. Prussias zinci.

Zn Cy.

R. Acetatis zinci depurati quantum vis,
Cyanureti potassii recenter aqua soluti, quantum sufficit.

Acetati zinci aqua soluto infunde, continuo agitans, cyanuretum potassii quamdiu præcipitatum oriatur. Cyanuretum zinci depositum parva acidi acetici diluti copia edulcoretur et dein leni calore siccetur.

Sit album, aqua et acido acetico insolubile; acido chlorhydrico diluto non effervescat, sed decomponatur et solvatur, acidum cyanhydricum evolvens.

DECOCTUM FOLIORUM ALTHÆÆ.

R. Foliorum Althææ . . . . part. 30
Aquæ quantum sufficit.

Coque per sextantem horæ ut sint partes 1000.

Eadem dosi paretur :

DECOCTUM Malvæ.

DECOCTUM RADICIS ALTHÆÆ.

R. Radicis Althææ concisæ . . . . part. 50
Aquæ quantum satis.

Macera per horam, tum coque per horæ quadrantem et cola levi expressione ut sint, post subsidentiam, decocti partes 1000.

Simili modo parentur :

DECOCTA

Asparagi;
Bardanæ;
Cichorii;
Dulcamaræ;
Filicis maris;
Fragariæ;
Graminis;
Lapathi acuti;
Papaveris albi, e capsulis;
Polypodii communis;
Querci, e cortice;
Ratanhiæ;
Saponariæ;
Symphiti;
Taraxaci;
Tormentillæ.

DECOCTUM AMYLI.

R. Amyli Tritici . . . . part. 40
Aquæ quantum sufficit.

Coquantur paulisper ut sint decocti partes 1000.

Eodem modo parentur :

DECOCTA Arrow-Root et Fæculæ Solani tuberosi.

DECOCTUM CARAGAHEEN.

R. Caragaheen . . . . part. 20
Aquæ fontanæ . . . . » 1500 s. Q. S.

Fucum aqua frigida ablutum per horam dimidiam coque ut fiat decoctum partium 1000.

DECOCTUM CORNU CERVI COMPOSITUM.

Loco *Decocti albi Sydenhami.*

R. Rasuræ cornu Cervi	part.	40	
Micæ panis albi	»	40	
Sacchari	»	30	
Aquæ fontanæ.	»	1500	s. Q. S.

Coque simul panem et cornu Cervi per semihoram, cola et adde saccharum ut sint decocti partes 1000.

DECOCTUM RADICIS GRANATI.

R. Pulveris corticis radicis Granati . . .	part.	250	
Aquæ fontanæ.	»	1500	s. Q. S.

Macera per sex horas, tum coque per horam dimidiam ut sit colatura partium 1000.

DECOCTUM GUMMI COMPOSITUM.

Loco *Decocti incrassantis Fulleri.*

R. Gummi arabici contusi	part.	96
Syrupi Althææ.	»	129
Aquæ quantum sufficit.		

Solve gummi calidum in aqua ut sint, cum syrupo, decocti partes 1000.

DECOCTUM HORDEI.

R. Hordei perlati.	part.	30
Aquæ quantum sufficit.		

Hordeum aqua frigida lotum cum aqua nova parumper coque, qua dein rejecta, aliam superaffunde et coque ut sint, post subsidentiam, decocti partes 1000.

Eodem modo parentur :

DECOCTA Avenæ excorticatæ et Oryzæ.

DECOCTUM LICHENIS ISLANDICI.

R. Lichenis Islandici	part.	40
Aquæ quantum sufficit.		

Coque per semihoram et cola cum expressione ut sint decocti partes 1000.

DECOCTUM LICHENIS ISLANDICI ABLUTI.

R. Lichenis Islandici	part.	40	
Aquæ quantum sufficit.			

Lichen cum aquæ viginti partibus ad ebullitionem usque calefiat; dein, aqua rejecta, abluatur donec amaritiem exuerit. Residuum cum aqua sufficiente per semihoram coque ut sit colatura partium 1000.

DECOCTUM LIGNORUM s. SUDORIFICUM.

Decoctum Guajaci compositum.

R. Rasuræ ligni Guajaci	part.	50	
Radicis Sarsaparillæ	»	50	
— Liquiritiæ.	»	10	
Rasuræ ligni Sassafras	»	10	
Aquæ fontanæ	»	2000	s. Q. S.

Sarsaparilla maceretur per duodecim horas; tunc ebulliat cum Guajaco per horam, sub finem infunde per horæ quadrantem Sassafras et Liquiritiam. Sit post subsidentiam colatura partium 1000.

DECOCTUM SEMINUM LINI.

R. Seminum Lini	part.	16	
Aquæ quantum sufficit.			

Coque per dimidiam horam ut sit colatura partium 1000.

DECOCTUM CORTICIS PERUVIANI.

R. Pulveris corticis Peruviani fusci . .	part.	100	
Aquæ fontanæ quantum satis.			

Macera per horam, coque per quadrantem horæ, tunc cola cum expressione. Sint decocti partes 1000.

Eadem ratione parentur :

DECOCTA corticis Peruviani flavi et rubri.

DECOCTUM SARSAPARILLÆ.

R. Radicis Sarsaparillæ.	part.	100	
Aquæ fontanæ	»	2000	s. Q. S.

Macera per horas duodecim, tunc coque per horam. Sit colatura partium 1000.

DECOCTUM TAMARINDORUM.

R. Tamarindorum. . . . . part. 50
Aquæ quantum sufficit.

Coque per horæ quadrantem ut sit colatura partium 1000.

Eodem modo paretur :

DECOCTUM Cassiæ, e pulpa.

DECOCTUM TAMARINDORUM COMPOSITUM.

R. Tamarindorum. . . . . part. 50
Passorum Vitis apyrenæ . . . . » 100
Aquæ quantum sufficit.

Coque per horæ quadrantem ut sint decocti partes 1000.

ELÆOSACCHARUM ANISI.

R. Sacchari . . . . part. 98
Olei volatilis Anisi . . . . » 2

100

Misce. Paretur ex tempore.

Eodem modo parentur :

ELÆOSACCHARA

Cinnamomi;
Citri;
Menthæ piperitæ;
Valerianæ, et reliqua.

ELECTUARIUM CATECHU COMPOSITUM.

Loco *Diascordii Fracastorii.*

R. Pulveris extracti Catechu . . . . . . part. 112
— Kino. . . . . » 83
— Corticis Cinnamomi. . . . . » 27
— Nucis Moschatæ . . . . » 27
— Opii . . . . » 5
Syrupi Rosarum rubrarum . . . . . » 746

1000

Pulveres misce et adde syrupum ut fiat lege artis electuarium.

ELECTUARIUM DENTIFRICIUM.

Electuarium gingivale.

R. Phosphatis calcis	part.	250
Cinnamomi	»	60
Coccionellæ	»	30
Aluminis	»	4
In pulverem subtilissimum redactis admisce		
Syrupi mellis	»	656
Fiat lege artis electuarium.		1000

ELECTUARIUM DENTIFRICIUM ALCALINUM.

R. Bicarbonatis sodæ	part.	100
Boli Armenæ	»	100
Laccæ Florentinæ	»	100
Olei Menthæ piperitæ	»	1
Syrupi mellis	»	699
		1000

Fiat lege artis electuarium.

ELECTUARIUM SENNÆ COMPOSITUM.

Electuarium sennæ cum pulpis. Electuarium lenitivum.

R. Foliorum Sennæ	part.	122
Radicis Liquiritiæ	»	45
Aquæ fontanæ	»	200 s. Q. S.

Post macerationem per duas horas, immitte in apparatum depulsorium et methodo lixiviatoria exhauri ut omne solubile eliciatur. Tum liquori adde :

Sacchari	part.	452

et evapora balneo aquæ ut remaneant syrupi partes 612.

Dein recipe :

Foliorum Sennæ pulveratorum	part.	62
Seminum Coriandri pulveratorum	»	47
Conservæ Cassiæ	»	93
— Prunorum	»	93
— Tamarindorum	»	93
Syrupi cum Senna	»	612
		1000

Misce ex balneo vaporis et effunde electuarium calidum in vase porcellaneo.

ELECTUARIUM TAMARINDORUM FULLERI.

R.	Conservæ Cassiæ	part.	210
	— Tamarindorum	»	210
	Foliorum Sennæ pulveratorum	»	80
	Cremoris tartari pulverati	»	20
	Mannæ	»	400
	Aquæ fontanæ	»	80
			1000

Mannam cum aqua contunde, tunc omnia misce et calefac balneo aquæ ut fiat lege artis electuarium.

ELECTUARIUM THERIACALE.

Electuarium opiatum.

R.	Pulveris aromatici	part.	267
	Radicis Serpentariæ pulveratæ	»	135
	Extracti Opii	»	20
	Vini Malacitani	»	45
	Mellis puri	»	533
			1000

Opium vino solutum melli addatur, dein admisceantur cætera, et balneo aquæ paulisper calefac, ut fiat massa homogenea.

EMPLASTRUM ADHÆSIVUM.

R.	Emplastri Lithargyri	part.	875
	Terebinthinæ Venetæ	»	125
			1000

Liquentur balneo vaporis ut fiat emplastrum.

EMPLASTRUM ADHÆSIVUM FUSCUM.

Emplastrum Leodiense, dictum de Bavière.

R.	Minii	part.	336
	Olei Olivarum	»	410
	Resinæ Pini depuratæ	»	52
	Sebi Ovilli	»	32
	Ceræ flavæ	»	58
	Terebinthinæ Venetæ	»	112
			1000

Minium coque cum oleo et sebo donec colorem subfuscum induere incipiat et emplastri ductilis consistentiam acquirat; tum ab igne remove et adde ceram, resinam Pini Terebinthinamque, dein agita leviter donec massa refrixerit.

EMPLASTRUM ÆRUGINIS.

Emplastrum viride.

R. Ceræ flavæ	part.	500
Resinæ Pini depuratæ	»	260
Terebinthinæ Venetæ	»	174
Subacetatis cupri pulverati	»	44
Olei Olivarum	»	22
		1000

Ceræ et resinis balneo aquæ liquefactis, adde æruginem prius cum oleo tritam.

EMPLASTRUM AGGLUTINANS.

R. Emplastri Lithargyri	part.	176
Terebinthinæ Venetæ	»	24
Emplastrum Picis burgundicæ	»	800
		1000

Liquefac balneo vaporis.

EMPLASTRUM AMMONIACI.

R. Gummi ammoniaci pulverati	part.	400
Resinæ Pini depuratæ	»	200
Terebinthinæ Venetæ	»	200
Ceræ flavæ	»	200
		1000

Liquentur balneo vaporis et serva in vase lapideo.

Simili modo parentur :

EMPLASTRA Asæ fœtidæ et Galbani.

EMPLASTRUM AROMATICUM.

R. Ceræ flavæ	part.	334
Sebi Ovilli	»	250
Terebinthinæ Venetæ	»	83
Pulveris Olibani	»	166
— Benzoes	»	83
Balsami nucistæ	»	64
Olei volatilis Caryophyllorum	»	10
— — Menthæ piperitæ	»	10
		1000

Liquentur balneo vaporis cera, sebum ac Terebinthina, dein ab igne remotis et semirefrigeratis immisceantur aliæ substantiæ, jamjam simul tritæ. Serva in vase clauso.

EMPLASTRUM BELLADONNÆ.

R.	Emplastri Picis Burgundicæ.	part.	700
	Extracti Belladonnæ pulverati.	»	200
	Olei Belladonnæ.	»	100
			1000

Emplastro et oleo una vaporis balneo liquatis et ab igne remotis extractum admisce.

Eodem modo parentur :

EMPLASTRA

Aconiti;	Hyoscyami;
Cicutæ;	Stramonii.

EMPLASTRUM CANTHARIDUM.

Emplastrum vesicatorium s. *epispasticum*.

R.	Ceræ flavæ.	part.	180
	Terebinthinæ Venetæ.	»	120
	Olei Olivarum	»	120
	Cantharidum subtilissime pulveratarum	»	280
			1000

Ceræ, Terebinthinæ et oleo calore balnei aquæ simul liquatis adde Cantharides. Massa post horæ quadrantem ab igne removeatur et lente agitetur ad refrigerationem.

Nota. Emplastra epispastica non inspergantur pulvere Cantharidum, nisi expressis verbis a Medico postulatur.

EMPLASTRUM CANTHARIDUM ANGLICUM.

R.	Ceræ flavæ.	part.	205
	Sebi Ovilli	»	205
	Resinæ Pini purificatæ.	»	94
	Adipis Suilli	»	168
	Cantharidum pulveratarum.	»	332
			1000

Fiat operatio uti pro emplastro præcedenti dictum.

EMPLASTRUM CANTHARIDUM CAMPHORATUM.

R.	Emplastri Cantharidum	part.	96
	Camphoræ cum pauxillo olei Olivarum tritæ	»	4
			100

Misce ex tempore.

EMPLASTRUM CANTHARIDUM PERPETUUM.

Emplastrum vesicatorium Janini.

R.	Mastichis pulverati.	part.	387
	Pulveris subtilis Cantharidum	»	129
	— — Euphorbii	»	64
	Terebinthinæ Venetæ.	»	387
	Axungiæ.	»	33
			1000

Fiat lege artis emplastrum et extende in sparadrapiis.

Sit e viridi fuscum, fragile, punctis nitentibus sparsum.

EMPLASTRUM CERÆ.

R.	Ceræ flavæ.	part.	428
	Sebi Ovilli	»	428
	Resinæ Pini purificatæ	»	144
			1000

Omnia liquefiant et fiat lege artis emplastrum.

EMPLASTRUM FUSCUM.

Unguentum Matris.

R.	Emplastri Lithargyri.	part.	414
	Axungiæ.	»	138
	Butyri insulsi	»	138
	Sebi Ovilli.	»	138
	Ceræ flavæ.	»	138
	Picis solidæ nigræ depuratæ.	»	34
			1000

Quatuor priores substantiæ in aheno calefiant donec massa colorem fuscum induerit; adde ceram, ahenum ab igne remove, et ubi massa refrigescere cœperit, injice picem; dein emplastrum in vas porcellaneum effunde, lente agitans usque ad consistentiam mollem.

EMPLASTRUM HYDRARGYRI.

Emplastrum de Vigo cum mercurio.

R.	Emplastrum Lithargyri.	part.	572
	Ceræ flavæ.	»	143
	Terebinthinæ Venetæ	»	95
	Hydrargyri.	»	190
			1000

Hydrargyrum cum Terebinthina tere in lebete ferreo; simul ac divisum omnino erit Hydrargyrum, liquefiant balneo vaporis in altero lebete emplastrum Lithargyri et cera; tum miscelam liquatam in Hydrargyrum Terebinthina extinctum sensim affunde, diligenter agitans usque ad refrigerationem.

Sit cinereum, absque globulis Hydrargyri conspicuis.

EMPLASTRUM LITHARGYRI.

Emplastrum commune. Emplastrum plumbi s. *simplex. Emplastrum Diapalmæ. Emplastrum Diachylon simplex.*

R.	Lithargyri subtilissime pulverati. . .	part.	1000
	Olei Olivarum	»	2000
	Aquæ.	»	500

Misce Lithargyrum cum oleo; adde aquam et coque igne leni, spatula lignea semper agitans, aquæ calidæ pauxillum subinde instillando, donec Lithargyrum perfecte solutum sit et massa habeat emplastri consistentiam, ita ut frustulum, aqua frigida induratum, digitis non amplius adhæreat. Tum ab igne remotum vas aqua frigida impleatur, massa leniter agitata; aqua dein decanthata, emplastrum rursus igni imponatur ut ab aqua plane liberum fiat.

EMPLASTRUM LITHARGYRI CUM GUMMI RESINIS.

Emplastrum Diachylon compositum s. *gummosum.*

R.	Emplastri Lithargyri	part.	716
	Ceræ flavæ.	»	71
	Gummi ammoniaci pulverati	»	71
	— Galbani	»	71
	Terebinthinæ Venetæ.	»	71
			1000

Liquefiant balneo vaporis emplastrum et cera, tum ab igne remotis et

semirefrigeratis admisce gummi resinas prius cum Terebinthina leni calore liquatas.

EMPLASTRUM MELILOTI.

R.	Emplastri Picis Burgundicæ.	part.	800
	Pulveris Meliloti	»	100
	Olei Meliloti.	»	100
			1000

Emplastro cum oleo calore balnei aquæ liquato et ab igne remoto adjice pulverem.

Eodem modo parentur :

EMPLASTRA Betonicæ et Mercurialis.

EMPLASTRUM OPII.

R.	Emplastri Picis Burgundicæ.	part.	125
	— Lithargyri.	»	800
	Opii pulverati	»	50
	Olei Olivarum.	»	25
			1000

Emplastris ex vaporis balneo liquatis ac fere refrigeratis accurate pulverem Opii cum oleo tritum admisce.

EMPLASTRUM OPII AROMATICUM.

Emplastrum opiatum aromaticum. Emplastrum cephalicum.

R.	Terebinthinæ	part.	25
	Resinæ Elemi depuratæ	»	10
	Balsami Peruviani.	»	5
	Pulveris Mastichis	»	20
	— Olibani.	»	20
	— Benzoes	»	15
	— Opii	»	5
			100

Liquefiant vaporis balneo resina Elemi et Terebinthina; ab igne remotis et semirefrigeratis commisceantur balsamum pulveresque simul antea triti. Servetur in vase porcellaneo, loco frigido.

Sit coloris fusco-nigri et calore tenax.

EMPLASTRUM OXYCROCEUM.

R.	Gummi ammoniaci pulverati	part.	63
	— Galbani —	»	63
	Terebinthinæ Venetæ	»	64
	Resinæ Pini depuratæ	»	382
	Ceræ flavæ	»	193
	Pulveris Croci	»	46
	— Mastichis	»	63
	— Myrrhæ	»	63
	— Olibani	»	63
			1000

Liquefiant, una parte, gummi Ammoniacum et Galbanum cum Terebinthina, addito Croco; tum, ex altera parte, resina Pini et cera; huicce mixturæ a balneo maris remotæ adde resinas liquatas, dein pulveres quum massa prope frigida est.

Sit emplastrum e flavo fuscum et odoris crocei.

EMPLASTRUM PICIS BURGUNDICÆ.

R.	Picis Burgundicæ	part.	800
	Ceræ flavæ	»	150
	Olei Olivarum	»	50
			1000

Liquentur balneo vaporis et miscendo fiat emplastrum.

EMPLASTRUM RESINOSUM.

R.	Emplastri simplicis	part.	857
	Resinæ Pini depuratæ	»	143
			1000

Liquentur balneo vaporis et fiat Emplastrum.

EMPLASTRUM SAPONATUM.

Emplastrum de Sapone. Emplastrum saponaceum.

R.	Emplastri Lithargyri	part.	800
	Ceræ flavæ	»	134
	Saponis albi pulverati	»	66
			1000

Cera et emplastro ope balnei vaporis liquatis saponem admisce.

EMPLASTRUM DE SAPONE CAMPHORATUM.

R.	Emplastri saponati.	part.	975
	Camphoræ	»	17
	Olei Olivarum.	»	8
			1000

Emplastro liquefacto et semirefrigerato adde Camphoram cum oleo tritam.

Sit albescens, molliusculum et camphoram redolens.

EMPLASTRUM TARTARI STIBIATI.

R.	Tartari emetici pulverati.	part.	14
	Olei Olivarum	»	6
	Emplastri Picis Burgundicæ.	»	80
			100

Emplastro liquefacto adde tartarum emeticum prius cum oleo tritum. Paretur ex tempore.

Eodem modo ex tempore parentur:

EMPLASTRA ex Ioduretis ferri, Plumbi et Potassii.

EMULSIO AMYGDALARUM.

R.	Amygdalarum dulcium decorticatarum.	part.	100
	Sacchari.	»	40
	Aquæ fontanæ quantum sufficit.		

Fiat lege artis emulsio partium 1000.

Eadem dosi parentur :

EMULSIONES Seminum Cannabis, et Papaveris albi.

EMULSIO GUMMOSA.

R.	Emulsionis Amygdalarum	part.	970
	Pulveris gummi Arabici	»	30
			100

EMULSIO OLEOSA.

R.	Olei Amygdalarum dulcium.	part.	12
	Gummi Arabici pulverati	»	6
	Syrupus simplicis.	»	12
	Aquæ fontanæ	»	70
			100

Misce oleum et gummi in mortario porcellaneo ope pistilli lignei; infunde, diligenter agitans, duodecim aquæ partes ut fiat emulsio; tum adde aquam residuam et syrupum.

EXTRACTUM ABSYNTHII.

R. Absynthii sicci contusi . . . . part. 1
Aquæ destillatæ. . . . . » 5

Macera per duodecim horas calore 20-30°, dein massam prelo exprime; residuum cum aquæ partibus tribus misce et, post alteram per sex horas macerationem, denuo exprime; evapora ad dimidium ultimam colaturam, tum adde primam, et liquores commixti ad ebullitionem incalescant; per chartam vel pannum laneum dein colentur et igne blando, assidue versati, inspissentur donec residui centum partes quindecim aquæ retineant.

Eadem ratione parentur :

EXTRACTA

Florum Arnicæ ;
— Chamomillæ Romanæ.
Foliorum Juglandis ;
— Sennæ.
Herbæ Artemisiæ ;
— Borraginis ;
— Cardui benedicti ;
— Centaurii minoris ;
— Chamædryos ;
— Fumariæ ;
— Marrubii ;
— Millefolii ;
— Trifolii aquatici.

Radicum Bardanæ ;
— Belladonnæ ;
— Calami ;
— Chelidonii ;
— Cichorei ;
— Graminis ;
— Columbo ;
— Cynoglossi ;
— Gentianæ ;
— Lapathi ;
— Rhei ;
— Saponariæ ;
— Valerianæ.

EXTRACTUM ACONITI.

R. Succi recentis Aconiti Napelli calore clarificati quantum velis,
Pulveris Aconiti recentis siccati quantum sufficit.

Succum in balneo aquæ calore 50° ad tenuem syrupi consistentiam perpetua agitatione evapora; tunc ab igne remove et quantum in succo refrige-

rato materiæ siccæ insit tantum pulveris adde. Mixta in patinis porcellaneis expandantur et in furno exsiccatorio, calore circiter 40°, siccentur. Tum extractum in pulverem redactum caute serva in vitris clausis.

Nota. Ut diuturna caloris actio præcaveatur, nonnisi cum parva succi quantitate evaporatio instituatur.

Proportio extracti sicci in succo concentrato determinatur quum pars hujus in parva capsula porcellanea ponderata perfecte siccetur et denuo ponderetur.

Eadem ratione parentur :

EXTRACTA

Herbæ Anemonæ ;	Herbæ Hyoscyami ;
— Belladonnæ ;	— Lactucæ virosæ ;
— Chelidonii ;	— Rhois radicantis ;
— Cicutæ ;	— Stramonii.

Nota. Quum Medicus extracta prædicta præscribit sine alia designatione, hæc semper dispensentur.

EXTRACTUM ACONITI CUM FÆCULA.

R. Herbæ Aconiti recentis propediem floriferæ, quantum velis.

Concisa in mortario lapideo ope pistilli lignei contundatur et prelo fortiter exprimatur ; quæ operatio, addita parva aquæ destillatæ quantitate, repetatur ; liquores mixti et colati in balneo vaporis temperatura 50° inter perpetuam agitationem ad quartam circiter partem vel ad syrupi consistentiam redigantur. Quod remansit super patinas porcellaneas tenui strato expande et in furno siccatorio calore 30-40° ad siccitatem usque evapora. Contritum serva in vase sicco probe clauso.

Eodem modo parentur :

EXTRACTA NON DEFÆCATA

Belladonnæ ;	Lactucæ sativæ (Thridax) ;
Cicutæ seu Conii ;	— virosæ ;
Digitalis ;	Rhois radicantis ;
Hyoscyami ;	Stramonii.

Omnia hæc extracta sint pulveres grumosi e fusco virides, plantæ odorem referentes. Extractum Conii, affusa potassa liquida, odorem Conini spargat. Quotannis parentur.

EXTRACTUM ACONITI ALCOHOLICUM.

R.	Aconiti Napelli contusi	part. 1
	Alcoholis 15° (65°)	» 4

Macera per biduum; massam prelo exprime, et liquor filtratus ex balneo aquæ perpetuo agitans evaporetur eo usque centum partes extracti aquæ decem partes contineant.

Eadem ratione parentur :

EXTRACTA ALCOHOLICA

Angusturæ;
Arnicæ, e floribus;
Belladonnæ, ex herba;
Caincæ;
Cascarillæ;
Chinæ;
Cicutæ, s. Conii;
Colchici, e bulbis;
Colchici, e seminibus;
Colocynthidis;
Columbo;
Croci;
Digitalis;
Granati, e cort. radicis;
Helenii;
Hellebori nigri;
Hyoscyami;
Ipecacuanhæ;
Lactucæ sativæ;
Lactucæ virosæ;
Lupuli;
Papaveris albi;
Polygalæ senegæ;
Rhois radicantis;
Sarsaparillæ;
Scillæ;
Stramonii;
Valerianæ.

Hæc extracta substantiæ exhaustæ saporem referant.

Nota. Extracta alcoholica non dispensanda sunt, nisi Medicus expressis verbis *extractum alcoholicum* petat.

EXTRACTUM ALOES ALCOHOLICUM.

Aloë depurata.

R. Aloes contusæ quantum velis,
Alcoholis 14° (61° C.) quantum satis.

Solve frigide sufficienti alcoholis copia solutionemque filtratam in vase porcellaneo ad siccum evapora.

Simili modo paretur :

EXTRACTUM Catechu, pro Catechu depurato.

EXTRACTUM ALOES AQUOSUM.

R. Aloes contusæ . . . . part. 1
Aquæ destillatæ . . . . » 4

Macera in vase clauso per triduum, sæpius agitando, solutioque subsidendo depurata et colata, in balneo mariæ, calore 70°, inter agitandum evaporetur, donec extractum frigefactum sit fragile.

Eodem modo paretur :

EXTRACTUM Myrrhæ.

EXTRACTUM BISTORTÆ.

R. Radicis Bistortæ contusæ. . . . . part 1
Aquæ destillatæ. . . . . » 2

Macera per duodecim horas; dein massam in apparatum depulsorium epistomio munitum immitte et superaffunde quantum sufficit aquæ ut radices obtegantur. Post macerationem per viginti quatuor horas liquorem effluere sine; novam dein adde aquæ partem, idemque repetatur quamdiu liquores sat concentrati eliciantur. Ad ebullitionem usque incalescant; per pannum transfundantur balneo aquæ evaporandi ut tertia fere pars remaneat. Tum per aliquot tempus sepositi et decanthati evaporentur ad consistentiam pilularem.

Eadem ratione parentur :

EXTRACTA

Dulcamaræ ;
Gallarum ;
Granati, e radicis cortice ;
Helenii ;
Liquiritiæ ;
Ligni Campechiani ;
Polygalæ amaræ ;
Polygalæ senegæ ;
Lapathi;
Ratanhiæ ;
Salicis, e cortice;
Tormentillæ.

EXTRACTUM CASSIÆ.

R. Pulpæ Cassiæ siliquis exemptæ quantum velis.

In apparatum depulsorium ingere et pars solubilis aqua frigida exhauriatur. Liquores rite evaporentur ad spissitudinem extracti, cujus centum partibus quindecim aquæ insint.

EXTRACTUM CHINÆ FUSCÆ.

Extractum corticis Peruviani.

R. Chinæ fuscæ pulveratæ. . . . . part. 1
Aquæ destillatæ . . . . » 6

Post macerationem per viginti quatuor horas calefac lente ad ebullitionem, tum massam prelo exprime. Residuum cum tribus aquæ partibus per quadrantem horæ, vase tecto, leniter coque et iterum prelo exprime. Liquores commixtos subsidendo et decanthando depuratos balneo aquæ ad consistentiam mellis liquidi inspissa, dein ab igne remove et alcoholis 27° partem quæ eorum volumen dimidium æquet admisce fortiter agitando; tunc evapora denuo balneo aquæ ut obtineas extractum cujus partes centum aquæ partes decem retineant.

Eodem modo parentur :

EXTRACTA

Cascarillæ;
Chinæ flavæ et rubræ.
Guajaci;
Quassiæ.

Omnia hæc extracta solutionem turbidam in aqua præbeant.

Nota. Medico extractum corticis Peruviani sine alia designatione præscribenti dabit Pharmacopola extractum Chinæ fuscæ.

EXTRACTUM CHINÆ FRIGIDE PARATUM.

R. Chinæ fuscæ pulveratæ quantum velis,
Aquæ fontanæ quantum sufficit.

Paretur eadem ratione qua extractum Bistortæ, sed residuum inspissetur ad consistentiam syrupi crassioris. Serva in vase probe clauso.

Nota. Hoc extractum ad siccitatem evaporatum sal essentiale Lagaraye sistit.

EXTRACTUM FERRI POMATUM.

Extractum malatis ferri. Malas ferri impurus.

R Limaturæ ferri . . . . part. 1
Succi Pomorum acidulorum recens expressi. » 8

Digerantur loco tepido, sæpius versata, per aliquot dies; dein in lebete ferreo igne leni coquantur, donec dimidia pars remaneat. Liquor per linteum colatus, ut subsidat, seponatur atque limpide decanthatus ope balnei vaporis ad consistentiam extracti Absinthii evaporetur.

Sit nigrum, odoris proprii haud aciduli, saporis dulciusculo-adstringentis, in aqua, solutione sublimpida, solubile; cupri vestigiis sit liberum.

EXTRACTUM FILICIS ÆTHEREUM.

Extractum Filicis oleoso-resinosum.

R. Radicum Filicis maris (præsertim gemmarum Rhizomatis squamis mundatarum) recens siccatarum et pulveratarum, quantum velis;
Ætheris sulphurici quantum satis.

Methodo lixiviatoria post præactam macerationem et sub finem ope preli extrahe partem radicis in æthere solubilem. Liquoribus mixtis et filtratis, elice destillatione ætherem, residuumque balneo aquæ, calore 40° non superante, ad mellis consistentiam evapora.

Extractum suboleosum, e viridi fuscum, saporis nauseosi, aqua non solubile.

Simili modo parentur :

EXTRACTA ÆTHEREA

Cantharidum;
Crotonis;
Cubebarum;
Helenii;
Mezerei;
Cinæ, e seminibus.

EXTRACTUM JUNIPERI.

R. Baccarum Juniperi recens siccatarum quantum velis.

Baccas leviter contusas methodo lixiviatoria aqua frigida extrahe, liquoresque evapora ad spissitudinem extracti, cui aquæ partes quindecim ex centum insint.

EXTRACTUM NUCIS VOMICÆ.

R. Nucum vomicarum pulveratarum quantum velis,
Alcoholis 22° (79° C.) quantum satis.

Macera per biduum in apparatu depulsorio cum alcoholis quantitate sufficienti ad pulverem obtegendum, dein liquidum effluere sine. Repetatur maceratio cum nova spiritus vini quantitate, donec nuces exhaustæ sint. Liquores in vase porcellaneo evapora ad massæ pilularis consistentiam. Caute serva.

Sit e fusco nigrum, saporis amarissimi, et solutio aquosa perturbida.

EXTRACTUM OPII.

Extractum Opii gummosum.

R. Opii optimi quantum velis.

Opium in segmina tenuia discissum super cribrum disperge setaceum,

quod vasi haud profundo et aqua destillata repleto immergas ita, ut opium aqua paulisper obtegatur. Post macerationem trium dierum, liquido defuso, alteram aquam affunde, quam, post macerationem per duos dies protractam, liquori defuso commisce et balneo mariæ evapora ad consistentiam extracti mollioris. Tum misceatur extractum cum octuplo aquæ frigidæ pondere vel quantitate sat magna ut liquor nova aquæ additione nullum edat præcipitatum. Seponatur liquidum et dein a sedimento filtratione separatum ad consistentiam massæ pilularis evaporatione secundum artem redigatur, seu ita ut centum extracti partes aquæ quinque partes retineant.

Solutio in aqua vix turbida.

EXTRACTUM SECALIS CORNUTI.

Ergotina Bonjean.

R. Secalis cornuti crasse pulverati quantum velis,
Aquæ destillatæ quantum satis.

Macera et exhauri methodo lixiviatoria; solutum ad consistentiam semisyruposam evapora; infunde per vices alcoholem 27° quamdiu præcipitatum oritur; liquorem per diem sepone interdum agitando; dein filtra et in balneo aquæ ad consistentiam extracti evapora.

Sit solutio ex alcohole limpida, ex aqua subturbida.

EXTRACTUM E SEMINIBUS HYOSCYAMI.

R. Seminum Hyoscyami quantum velis,
Alcoholis 15° (63° C.) quantum satis.

Semina contusa prelo exprime ut oleum separetur. Residuum macera per diem cum duplo alcoholis pondere; cola exprimendo; adde novam alcoholis copiam; digestionem expressionemque repete eo usque solubile quidquid e seminibus sit exhaustum, tum evapora liquores colatos ad extracti consistentiam. Extractum quadruplo aquæ solve, solutionemque filtratam ad massæ pilularis consistentiam evapora. Caute servetur in vitro clauso.

Eodem modo parentur :

EXTRACTA e seminibus Belladonnæ et Stramonii.

EXTRACTUM TARAXACI.

R. Radicum et herbæ Taraxaci recentium quantum velis,
Aquæ fontanæ quantum sufficit.

Radices et herbam concisas in mortario lapideo contunde, aquam sensim addendo. Exprime succum, quem subsidendo depuratum ad separationem materiæ albuminosæ usque decoque; cola et leni calore ad consistentiam extracti Absinthii evapora.

FARINÆ EMOLLIENTES.

R.	Farinæ Lini	part.	400
	Pulveris radicis Althææ	»	400
	— foliorum Malvæ.	»	100
	— summitatum Meliloti	»	100
			1000

FARINA SEMINUM LINI.

Constat ex placentis seminum Lini post olei expressionem residuis et pulveratis.

Nota. Farina seminum Lini cum oleo non dispensanda est, nisi expressis verbis a Medico postuletur.

FEL TAURI INSPISSATUM.

Extractum fellis Bovini.

R. Fellis Tauri recentis quantum velis.

Cola per linteum et evapora balneo aquæ ad massæ pilularis consistentiam.

Sit coloris obscure viridis et in aqua solutionem limpidam virescentem exhibeat.

FERRO-CYANHYDRAS QUININÆ.

FERRO-CYANETUM CHINICUM.

Hydroferrocyanas quininæ. Prussias quininæ.

R.	Sulphatis quininæ.	part.	2
	Ferro-cyanureti potassii	»	3
	Aquæ destillatæ.	»	12

Simul ferveant et interdum agitentur donec præcipitatum formatum sit e flavo viride et resinaceum. Liquore refrigerato et decanthato, præ-


cipitatum aqua destillata abluatur et spiritu vini solutum lege artis cogatur in crystallos, quæ siccatæ vitro bene clauso serventur.

Sint crystalli, sive pulvis e flavo viridis, saporis amari, alcohole solubilis, aqua vero insolubilis.

FERRO-CYANURETUM FERRI.

CYANETUM FERROSO-FERRICUM.

Cyanuretum duplex ferri. Ferrum cyanatum. Cæruleum berolinense purum.



$$2Fe^2, 3(Fe\,Cy^3) + Aq. = 3\,Fe\,Cy + 2\,Fe^2Cy^3 + Aq.$$

R. Ferro-cyanureti potassii quantum velis.

Solve in

Aquæ destillatæ partibus sex;

solutioni instilla

Chloruretum ferricum aqua solutum et dilutum,


quamdiu præcipitatum inde oritur. Sedimentum decapulando separatum aqua iterum iterumque ablue donec jam nihil amittat, et dein leni calore siccatum in pulverem redige tenuissimum.

Sit massa pulverulenta, levis, intense cærulea, in aqua acidisque dilutis omnino insolubilis. Alumina intermixta, uti in ferro borussico venali, acido chlorhydrico solvitur, et solutio filtrata, ammonia caustica liquida affusa, præcipitatum gignit album et gelatinosum.

FERRO-CYANURETUM POTASSII DEPURATUM.

CYANETUM FERROSO-KALICUM.

Cyano-ferretum kalicum. Ferro-kalium cyanatum flavum. Kali borussicum.



$$2K, FeCy^3 + 3HO = 2KCy + FeCy + 3HO.$$

R. Ferro-cyanureti potassii venalis . . . . part. 1
Aquæ destillatæ. . . . . » 10
Chlorureti baryi aqua soluti, quantum satis.

Ferro-cyanureto aqua soluto instilla guttatim chloruretum baryi, quamdiu præcipitatum oritur, cavens ne excedat. Solutio dein filtrata ad quartam fere partem evaporatione consumatur et ad crystallisandum seponatur.

Crystalli flavæ, in aquæ frigidæ partibus quatuor, fervidæ duabus solubiles. Ne sint sulphate potassico, ope chlorureti baryi detegendo, inquinatæ.

FERRUM PULVERATUM.

Limatura martis porphyrisata s. *alcoholisata.*

R. Limaturæ ferri nitentis et puri, quantum velis.

Alcohole concentratissimo irrorata in mortario ferreo conteratur in pulverem subtilissimum, per cribrum setaceum a pulvere crassiore separandum. Servetur vase vitreo sicco probe clauso.

Sit pulvis subtilissimus, contactu mollis, coloris cinerei, pressione metallice splendens, in acido chlorhydrico diluto plane solubilis cum evolutione gas hydrogenei non fœtidi. Quæ solutio nec hydrogenio sulphurato nigrescat, nec post præcipitationem ferri ope potassæ liquidæ in excessu affusæ, alia metalla indicet.

GELATINA CARAGAHEEN.

R.	Caragaheen.	part.	20
	Sacchari	»	500
	Aquæ fontanæ	»	1500 s. Q. S.

Fuco aqua frigida bene loto aquam affunde et coque per semihoram; per cribrum cola et, addito saccharo, ebulliat semel liquor; tunc per pannum transfunde, evapora donec gelatinæ sint partes 1000, et adde alcoholeti Citri quantum satis ad gratum saporem.

GELATINA CORNU CERVI.

R.	Rasuræ cornu Cervi.	part.	600
	Sacchari	»	500
	Succi Citri	»	120
	Aquæ fontanæ	»	4000 s. Q. S.

Cornu Cervi aqua tepida lotum, vase obtecto, cum aqua præscripta coque per sex vel septem horas, donec liquor ad dimidium evaporatione redigatur. Colato liquido admisce saccharum et ovi albumen aqua dilutum. Tunc coque spumas eximendo; Citri succum adde; cola et evaporando inspissa ut fiant gelatinæ partes 1000, quibus condiendis addatur alcoholetum Citri.

GELATINA CORNU CERVI AMYGDALATA.

R.	Gelatinæ cornu Cervi simplicis. . . .	part.	500
	Amygdalarum dulcium mundatarum .	»	200
	Sacchari.	»	400
	Aquæ florum Aurantiorum	»	100

In mortario marmoreo calefacto contundantur Amygdalæ decorticatæ una cum saccharo et aqua florum Aurantiorum; supra pultem affundatur gelatina calida et miscela super foco aliquantisper reponatur, donec liquescat; tunc per pannum cola leviter exprimendo.

GELATINA CYDONIORUM.

R. Cydoniorum fere maturorum . . . . part. 1500
Sacchari . . . . » 1000
Aquæ fontanæ . . . . » 3000 s. Q. S.

Cydonia in taleolas concisa et a dissepimentis nucleisque mundata ex aqua coque ad dimidiam partem. Coletur liquor et, saccharo adjuncto, clarificetur ovorum albumine; tunc citissime coque donec in gelatinam frigore concrescat.

GELATINA HELMINTHOCHORTON.

R. Fuci Helminthochorton . . . . part. 90
— Caragaheen . . . . » 16
Sacchari . . . . » 300
Vini albi . . . . » 300
Aquæ quantum sufficit.

Fucos aqua frigida lotos blando igne coque per horam ut sint colaturæ partes circiter 250. Adde vinum et saccharum; liquor ebulliat; dein coletur et evaporetur usque dum refrigeratione concrescat in gelatinam ita ut sint partes circiter 1000.

GELATINA LICHENIS ISLANDICI.

R. Lichenis Islandici concisi. . . . . part. 256
Ichthyocollæ . . . . » 16
Sacchari . . . . » 300
Aquæ quantum sufficit.

Lichenem cum aquæ viginti partibus ad ebullitionem, vivido calore, calefac; dein, aqua rejecta, elue frigide donec amaritiem exuerit. Ablutum coque semel iterumque cum aqua sufficienti. Mixta decocta igni rursus admove, additis saccharo et Ichthyocolla in aqua seorsim emollita; post ebullitionem cola denuo, ac demum liquorem evapora, spumas eximendo, donec supersint partes 1000.

GELATINA LICHENIS ISLANDICI AMARA.

Paretur uti gelatina præcedens, Lichene vero non eluto.

GELATINA LICHENIS ISLANDICI SICCA.

Saccharolatum Lichenis Islandici. Pulvis pectoralis Trossii.

R. Gelatinæ Lichenis Islandici sine Ichthyocolla paratæ, quantum velis.

Gelatinam sicca ope balnei vaporis, indesinenter agitando et sub finem

evaporationis strenue conquassando ut spongiosa fiat; exsiccatio in caldario perficiatur; massa sicca in pulverem redigatur ac vase vitreo rite clauso servetur.

GELATINA RIBIUM RUBRORUM.

Rob Ribium. Rob Ribesiorum rubrorum.

R. Baccarum Ribesii rubri nondum plane maturarum et a pedunculis mundatarum, quantum velis.

Igne blando cum pauxillo aquæ ad ebullitionem calefiant donec cunctæ ruptæ sint. Massam calentem in cribrum setaceum injice et leni pressione succi effluvium adjuva; quo facto, sume

Hujus succi.	part.	1000
Sacchari	»	1000

Evapora igne vivido, inter assiduam despumationem, ad debitam consistentiam, liquoremque adhuc calentem in vasa idonea effunde.

Eodem modo paretur :

GELATINA Ribium nigrorum.

GELATINA SALEP.

R. Radicis Salep pulveratæ	part.	24
Sacchari.	»	250
Aquæ fontanæ	»	735

Ebulliant paulisper ut sint gelatinæ partes 1000.

Simili modo paretur :

GELATINA Arrow-Root, cum fæculæ partibus 50.

GELATINA BACCARUM SAMBUCI.

Conserva s. Rob Sambuci.

R. Baccarum Sambuci leviter maturarum quantum velis.

Ferveant in lebete, sub agitatione continua, donec disrumpantur; tunc per cribrum colentur et leviter exprimantur. Sume

Hujus succi.	part.	1000
Sacchari	»	250

Succum in lebete argenteo vel cupreo probe mundato cito evapora donec ad trientem redigatur. Adde saccharum, perge evaporando ad debitam crassitudinem, et vase idoneo serva.

Ut pulchre rubeat Rob Sambuci, exiguæ tantum portiones tractandæ sunt, ignis vim diuturniorem vitandi causa.

GLANDES QUERCUS TOSTÆ.

Glandes s. nuces Quernæ tostæ.

Siccatæ et a putaminibus mundatæ in sartagine ferrea leni calori exponantur, continuo spatula versatæ, donec fragiles sint et colorem fuscum, non autem nigrum, induerint. Refrigeratas et crasse pulveratas serva in vitris probe clausis.

Sit pulvis subfuscus, odoris subempyreumatici, Coffeæ tostæ proximi.

Eodem modo parentur :

PULVIS Rhei tostus;
SEMINA Genistæ tosta;
SPONGIÆ tostæ.

GLOBULI TARTARI MARTIALES.

Globuli martiales. Tartarus chalybeatus crudus.

R.	Ferri limati.	part.	1
	Tartari crudi pulverati.	»	2
	Aquæ quantum satis.		

Conjice in ollam ferream tartarum et limaturam; adde aquam sufficientem ut fiat massa mollis; quam balneo vaporis sæpius agitando digestam et evaporatam iterum humecta ac digere ad siccitatem, idque pluries repete donec massa quasi resinosa appareat et in aqua calida, maxima ex parte, solvi queat. Tunc formetur in globulos bene servandos.

Sint coloris nigerrimi, subnitentes, saporis ferrosi. Cum decem aquæ bullientis partibus solutionem nigrescentem præbeant sine magno residuo.

GLYCERINA.

Hydras oxydi Lipylici. Principium dulce oleorum.

$C^6H^7O^5,HO.$

R.	Lithargyri subtilissime pulverati. . . .	part.	5
	Olei Olivarum	»	9
	Aquæ quantum sufficit.		

Oleum cum Lithargyro et aqua, super igne moderato, in saponem converte, observatis rite omnibus quæ ad præparationem emplastri Lithargyri requiruntur.

Quo facto, adde rursus aquæ pauxillum, tunc massam probe subactam, in loco calido, per aliquod tempus sepone, et quæ continet glycerinam aqua decanthetur. In hanc solutionem transmitte gas sulpho-hydricum quamdiu

plumbum sulphuratum præcipitatur; filtra et in balneo aquæ fervidæ evapora ad mellis consistentiam.

Liquidum syrupi spissitudinis, saporis dulcis, coloris expers vel flavescens, aqua et spiritu vini solubile, igne partim avolans; acido sulphurico nuptum cum oxydis salia efformat.

NOTA. Aquam e præparatione emplastri Diapalmæ residuam ad parandam glycerinam adhiberi posse vix notandum est.

HYDRARGYRUM DEPURATUM.

Mercurius vivus depuratus.

R. Hydrargyri venalis quantum velis.

Immitte in retortam ferream vel lapideam ad dimidium fere replendam stratumque adjice scobis ferreæ grossioris. Cylindrum flexilem ex linteo confectum et semipedalem retortæ apta ac circa collum fascia constringe. Cylindrum aqua humecta ejusque aperturam inferiorem sub aquæ in vase idoneo contentæ superficiem immerge. Igne supposito, destillatio instituatur. Quum Mercurius fervet, ignis moderetur ut ebullitio levis tantum et æquabilis obtineatur donec metalli sextantes quinque transierint. Hydrargyrum destillatum ab aqua separetur, ope chartæ bibulæ siccetur, ac per linteum vel pellem Rupicapræ transmittatur.

Sit penitus volatile; superficiem mundissimam splendidissimamque monstret, nec in vasis vitreis seu porcellaneis agitatum, caulem nigrescentem post se ducat. Plane solvatur in acido nitrico, et solutio, quum acida est, aqua non præcipitetur.

HYDRARGYRUM DULCE s. CALOMELAS.

CHLORETUM HYDRARGYROSUM.

Proto-chloruretum Hydrargyri per sublimationem. Hydrargyrum chloratum. Hydrargyrum muriaticum mite. Murias protoxydi Hydrargyri. Mercurius dulcis.

Hg^2Cl.

R. Bichlorureti Hydrargyri. . . . . part. 4
Hydrargyri puri. . . . . » 3

Simul in mortario porcellaneo cum aqua terantur donec Hydrargyrum omnino sit extinctum nullique appareant globuli metallici. Massa dein, leni calore siccata, immittatur in phialas ad tertiam tantum partem implendas, et quæ cono cretaceo clausæ balneo arenæ fere ad collum usque imponantur, ut fiat sublimatio igne sensim augendo. Sublimatione peracta, rejiciantur Hydrargyrum et bichloruretum collo phialæ adhærentia; massa sublimata vero conteratur ac in pulverem subtilissimum lævigatione bis terve repetita redigatur.

Quo facto, chloretum hydrargyrosum abluatur primo cum solutione chloreti ammonici (ex decima parte salis pro una chloreti hydrargyrosi confecta), dein cum aqua destillata, donec hæc decanthata nec ammonia liquida præcipitetur, nec colorem mutet ex addita potassa caustica.

Chloruretum, ultima vice, aquæ immissum fortiter agitetur; pulvis ita liquido bene divisus deponatur et, aqua defusa, balneo aquæ siccetur. Massa denique siccata, ope cultelli eburnei pulvis crassus, fundo adhærens, separandus est et denuo porphyrisationi submittendus. In vasis clausis denigratisque servetur.

Pulvis subflavide albus, tenuissimus, igne plane avolans; cum aqua calcis tritus intense nigrescat. Luce nigrescit et partim decomponitur. Sit a sublimato corrosivo plane liber, quod dignoscitur, quum, alcohol cum eo mixtus et post aliquot momenta filtratus, nec aqua calcis affusa præcipitatum flavum, nec acido sulpho-hydrico nigrum demittit.

HYDRARGYRUM DULCE PRÆCIPITATUM.

CHLORETUM HYDRARGYROSUM PRÆCIPITATUM.

Proto-chloruretum Hydrargyri præcipitatum. Hydrargyrum muriaticum mite præcipitatione paratum. Murias protoxydi Hydrargyri præcipitatum. Mercurius dulcis Scheelii.

R. Hydrargyri	part.	1
Acidi nitrici 26°	»	1

Per biduum, subinde versata, in lagena vitrea loco tepido simul digerantur, et quæ formantur crystalli parva copia aquæ destillatæ et tepidæ solvantur. Subnitras Hydrargyri, si aqua addita præcipitetur, solvatur aqua acido nitrico acidulata. Quum massa salina plane soluta est, liquori ab Hydrargyro metallico, quod superest, decanthatione separato infundatur sensim sensimque et quamdiu præcipitatum gignit, solutio confecta ex

Salis marini	part.	1
Aquæ acido nitrico acidulatæ	»	6

Sedimentum rite separatum et ablutum in umbra siccetur et servetur vase rite clauso.

Vix a præcedenti medicamine differt, sed minus purum usui externo inservit.

HYDRARGYRUM DULCE VAPOROSUM.

CHLORETUM HYDRARGYROSUM VAPORE DIVISUM.

Calomelas vaporosus.

R. Proto-chlorureti Hydrargyri sublimati quantum satis.

Immittatur in retortam siliceam in fornacula ita positam, ut collum, quod breve sit et amplum, per totum tempus præparationis prunis circumdari queat. Collo aptetur excipulum duabus aperturis lateralibus et tubulo longo inferius instructum. Excipulum imponatur lagenæ aquam frigidam continenti, eo modo ut tubulus inferior nonnihil aquæ immergatur, et dum una ex aperturis lateralibus collum retortæ recipiat, alteri applicetur vesica destillatoria aqua repleta.

Rebus ita dispositis orificiisque lateralibus luto obturatis, temperatura aquæ, in vesica destillatoria, fere ad ebullitionem augeatur; prunis circumdetur retortæ collum gradatimque ita calefiat ut vapores chlorureti in eo concrescere nequeant. Tunc ignis sensim protrahatur circum integram retortam et aqua ad ebullitionem adducatur. Vapores apte dirigendi sunt ne abundantius ex una quam ex altera parte affluant, et ignis tamdiu est alendus quamdiu retortæ chloruretum inest.

Operatione peracta, tollatur lagena cui superimpositum est excipulum, quod cum aqua lagenæ abluendum et aqua abluens in lagenam refundatur ut, in hoc vase, productum operationis totum colligatur ibique decanthando abluatur quamdiu vestigia bi-chlorureti Hydrargyri detegantur.

Lævigatione dein pulvis tenuior separetur, pars reliqua vero, dum adhuc humida est, in marmore porphyreo teratur. Mixti postea pulveres tenuissimi leni calore siccentur inque vase porcellaneo serventur.

Ad hydrargyrum dulce sublimatum dividendum convenit quoque vapores in spatio amplo aëre repleto condensare.

Nota. Chloruretum hydrargyrosum vapore divisum, quum propter extremam molecularum tenuitatem, quæ absorptioni favet, majori vi in œconomiam animalem agat quam Mercurius dulcis vulgari modo sublimatus, Medico non dispensetur nisi expressis verbis præscriptum.

HYDRARGYRUM SUBLIMATUM CORROSIVUM.

CHLORETUM HYDRARGYRICUM.

Bi-Chloruretum hydrargyri. Chloridum hydrargyricum. Hydrargyrum bichloratum. Hydrargyrum muriaticum corrosivum. Murias deutoxydi Hydrargyri. Murias Hydrargyri oxygenatus. Mercurius sublimatus corrosivus.

HgCl.


R.	Hydrargyri.	part.	2
	Acidi sulphurici 66°	»	3
	Chlorureti sodii exsiccati et pulverati . .	»	3

In vase idoneo Hydrargyrum simul cum acido igni leni expone donec in sulphatem hydrargyricum plane siccum redactum fuerit. Hunc, cum chloreto sodico intime mixtum, in lagenam ex vitro viridi confectam, longo et amplo collo instructam et ad tertiam circiter partem implendam, immitte. Instituatur dein sublimatio e balneo arenæ. Quum vapores acidi et aquosi cessaverint, orificium lagenæ cono chartaceo imperfecte claudendum ignisque sensim augendus est, ut sublimati densitas et consistentia fusione inchoante augeantur. Cavendum tamen ne igne nimio et diutius protracto sublimatum in auras propellatur; quod si accidit, lagena ex arena subito est tollenda. Sublimatione tandem peracta, e lagena refrigerata et fracta eximitur sublimatum, rite a residuo in fundo vasis separandum. Cautissime serva.

Sit massa salina, alba, igne liquescens, dein plane avolans; solvitur in viginti partibus aquæ frigidæ, in duabus bullientis, in tribus partibus alcoholis 28° (89° C.), vel ætheris. Solutiò præcipitatum luteo-rubrum cum potassa et soda soluta et cum aqua calcaria, præcipitatum vero rubrum cum iodeto potassico, et album cum ammonia liquida demittat.

HYDRARGYRUM PRÆCIPITATUM ALBUM.

Hydrargyrum amidato-bichloratum. Murias hydrargyro-ammoniacale. Hydrargyrum ammoniato-muriaticum.



$$2\Big((HgCl+Hg,NH^2)+(NH^3,HCl)\Big)=(Hg^2N+HgCl)+3(NH^3,HCl).$$

R. Bichlorureti Hydrargyri,
Chlorureti ammonii, utriusque partes æquales.

Solve in

Aquæ depuratæ sufficienti copia,

et instilla gradatim

Carbonatis sodæ solutionem

quamdiu decidit pulvis albissimus. Si ad flavedinem vergere incipit præcipitatum, ab ulteriore affusione abstine. Pulvis statim aqua frigida destillata edulcoratus, intra chartam siccetur et servetur in loco umbroso sicciori.

Pulvis albus, calore liquescens et cum decompositione ex toto avolans; aqua calcis affusa non nigrescit; cum potassa tritus ammoniam emittit.

INFUSUM RHEI.

R. Radicis Rhei concisæ . . . . part. 75
Aquæ frigidæ . . . . » 1100 s. Q. S.

Post macerationem per horam, calefac ad 90°, liquoremque refrigeratum cola ut sint infusi partes 1000.

INFUSUM RHEI ALCALINUM.

Tinctura Rhei Rolfincii. Tinctura Rhei aquosa.

R. Radicis Rhei concisæ. . . . . part. 100
Carbonatis potassæ. . . . . » 20
Aquæ . . . . » 1150 s. Q. S.

Macera per horam, tum calefac ad 90°; liquorem semirefrigeratum cola ut sint infusi. . . . . part. 997

Adde

Alcoholeti Menthæ crispæ. . . . . . . » 3

1000

INFUSUM SENNÆ.

R. Foliorum Sennæ . . . . part. 100
Aquæ fontanæ . . . . » 1150 s. Q. S.

Macera per horam et calefac lente usque ad ebullitionem, dein liquorem fervidum cola, Senna leviter expressa, ut sint infusi partes 1000.

INFUSUM SENNÆ CUM MANNA.

Loco *Aquæ laxativæ Viennensis.*

R. Foliorum Sennæ . . . . part. 100
Mannæ. . . . . » 200
Alcoholati aromatici . . . . » 10
Aquæ quantum sufficit.

Solve Mannam in infuso Sennæ uti supra dictum parato, cola et adde alcoholatum ut sint liquoris partes 1000.

IODOFORMUM.

PERIODETUM FORMYLICUM.

Ioduretum carbonis.

C^2H,I^3.

R. Iodii . . . . part. 1
Potassæ. . . . . » 1

Iodium et potassam in alcoholis quam minima quantitate seorsim solve. Dein, iodio soluto liquorem potassæ guttatim adde donec miscela colorem iodii amiserit. Solutio leni calore concentrata, post refrigerationem, ioduretum in crystallos nitidas coloris citrini demittit, quas in filtro collectas, aquæ destillatæ pauxillo lava chartaque bibula involutas ad aërem sicca.

Sint crystalli lamelliformes, luteæ, odoris penetrantis Crocei, aqua insolubiles, alcohole autem et æthere quam maxime solubiles; calore 100° avolant et solutione potassæ alcoholica decomponantur.

IODHYDRAS AMMONIÆ.

IODETUM AMMONICUM.

Ioduretum ammonii. Ammonium iodatum. Hydroiodas ammoniæ.



$NH^3,HI=NH^4I$.

R. Iodii . . . . part. 10
Limaturæ ferri . . . . » 3
Aquæ puræ. . . . . » 30
Carbonatis ammonici quantum necesse.

Age uti de præparatione iodureti potassii dictum est, curando ut in liquore, quamdiu evaporatur, levis ammoniæ excessus adsit. In vitris clausis serva.

Sint crystalli albæ, cubicæ, in aqua maxime solubiles; in aëre cito vitiantur et colorantur.

IODURETUM AMYLI.

Amylum iodatum.

R. Iodii . . . . part. 1
Alcoholis 28° (89° C.). . . . . » 10
Amyli albissimi. . . . . » 10

Iodium in alcohole solutum amylo adde per vices in mortario vitreo et fortiter contere; mixturam aqua frigida paulisper madefactam immitte in excipulum vitreum sat amplum collo longo instructum et probe claudendum, quod balneo aquæ fervidæ ad collum usque immergas sæpiusque durante maceratione concutias. Calore per duas aut tres horas protracto, ioduretum, sub formam pastæ tenacis apparens, in excipulo ab igne remoto, cum alcohole 15° ad abluendum misce, dein in filtro collige denuoque ablutum leni calore et loco obscuro sicca. Serva in vase clauso et sicco.

Sit massa pulverulenta, atro-cærulea vel nigra, subsplendens, fere inodora, in aqua solubilis solutionemque præbens intense cæruleam. Lucis aditu sensim decomponitur.

IODURETUM AURI.

IODETUM AURICUM.

Aurum iodatum.



Au^2I^3.

R. Iodureti ammonici,
Chloreti aurici, partes æquales.

Seorsim in aqua destillata pauca solve ut solutiones fère saturatas habeas. Liquori tunc chloreti aurici adde paulatim iodetum ammonicum quamdiu præcipitatum formatur. Addita dein spiritus vini quantitate tertiæ circiter parti totius voluminis liquoris æquali, præcipitatum seponendo et decanthando separa; cum alcohole ablue ac in aëre libero sicca. Vitris bene obturatis immissum servetur loco frigido et obscuro.

Pulvis flavus, aqua frigida insolubilis; calore 150°, avolante iodio, decomponitur; potassa caustica soluta, iodium ex eo assumens, aurum præcipitat metallicum, quod in acido nitrico nihil ponderis sui amittere debet.

IODURETUM BARYI.

IODETUM BARYTICUM.

Baryum iodatum. Hydroiodas barytæ.

BaI.

R. Iodureti ferri aqua soluti,
Aquæ barytæ, utriusque quantum sufficit.

Solutioni iodureti ferri calefactæ adde paulatim aquam barytæ donec oxydi ferri præcipitatio cesset; cave ne barytæ, nec iodureti ferri pars ulla libera in solutione remaneat; solutionem filtratam leni calore evapora et ad crystallisandum sepone. Serva in vasis bene clausis.

Crystalli tenuissimæ, aciculares, admodum aqua solubiles; solutio aëre colorem fuscum assumit; decomponitur enim ioduretum baryi aëris accessu et in carbonatem barytæ ac per-ioduretum baryi transit.

PROTO-IODURETUM FERRI.

IODETUM FERROSUM.

Ferrum iodatum. Hydroiodas oxyduli ferri.

FeI.

R. Fili ferrei tenuis . . . . part. 1
Aquæ . . . . » 5

In vase ferreo sive porcellaneo ingestis spathulaque ferrea agitatis, adde paulatim

Iodii . . . . part. 4

Commixta leviter ebulliant donec liquor initio fuscus colorem virescentem præbeat. Tum calidus citissime filtretur, et celeri evaporatione fere ad siccitatem reducatur. Serva in vitro probe clauso.

Sit coloris fusci, saporis styptici, in aqua penitus solubile. Vapores iodii in aëre calefactum emittat et reactiones chemicas salium ferri et iodurctorum indicet. Brevi tempore et præsertim aëre decomponitur.

BI-IODURETUM HYDRARGYRI.

IODETUM HYDRARGYRICUM.

Iodidum hydrargyricum. Ioduretum hydrargyri rubrum. Hydrargyrum bi-iodatum.

HgI.

R. Chlorureti hydrargyrici. . . . . part. 4
Iodureti potassici . . . . » 5

Seorsim solvantur : chloruretum in
Aquæ fervidæ destillatæ . . . . » 20
Ioduretum in
Aquæ fervidæ . . . . » 4

Solutiones adhuc calentes intime misceantur. Præcipitatum splendide rubrum inde ortum, post refrigerationem separetur et, aqua calida ablutum, in loco obscuro siccetur et servetur.

Sit pulvis coloris cinnabarini, luce fuscescens, calore flavescens, omnino volatilis, non aqua sed alcohole 90° C. fervido et liquore iodureti potassici solubilis. Aqua calida dilutus liquore potassæ causticæ præcipitatum flavum non efficiat.

PROTO-IODURETUM HYDRARGYRI.

IODETUM HYDRARGYROSUM.

Hydrargyrum iodatum flavum.

Hg^2I.

Hydrargyri puri . . . . part. 8
Iodii . . . . » 5

In mortario lapideo, cum alcoholis rectificati ea quantitate commixta ut exinde massa oriatur subliquida, continuo terantur, donec hydrargyrum omnino evanuerit. Quæ teritur massa parva sit et alcohole madida, ne incalescat flammamque concipiat. Ioduretum alcohole 28° fervido probe ablutum, in loco obscuro ac tepido celeriter sicca. Caute servetur in vasis clausis a luce remotis.

Sit pulvis tenuis, e flavo viridis, in aqua et alcohole non solubilis. Aqua calida cum eo permixta et dein filtrata neutra sit, nec chlorureto sodico præcipitatum album præbeat. Celeriter calefactus sublimatur; calore lento rubescit; lucis influxu nigrescit et resolvitur. Sit a bi-iodureto hydrargyri plane liber.

IODURETUM PLUMBI.

IODETUM PLUMBICUM.

Plumbum iodatum. Iodidum plumbi.

PbI.

R. Iodureti potassii puri. . . . . part. 1
Aquæ destillatæ. . . . . » 5

Solutioni per vices, leviter agitando et quamdiu præcipitatum amittit, infunde

Acetatis plumbici aqua diluti quantum satis.

Ioduretum plumbicum decanthatione seu filtro separatum aqua frigida abluatur, et leni calore siccetur.

Sit pulvis coloris citrini, in aqua ferventi parum, in solutione potassæ causticæ plane solubilis. In aqua fervida solutus, sub forma paleolarum micacearum aurei coloris, refrigeratione crystallisatur. Reactiones chemicas iodii et plumbi refert.

IODURETUM POTASSII.

IODETUM KALICUM.

Hydroiodas potassæ. Kalium iodatum.

KI.

R.	Iodii puri	part.	4
	Fili ferrei tenuissimi	»	1
	Aquæ destillatæ	»	16

In lebete ferreo simul incalescant et agitentur donec liquor initio fuscus colorem suum amiserit. Solutioni bullienti sensim et caute admisceatur

Carbonatis potassæ puri soluti quantum satis

donec præcipitatio carbonatis ferrosi cesset. Massa ebulliat per quadrantem horæ, dein filtretur; filtratique liquores evaporando siccentur in vase ferreo vel porcellaneo. Residuum triplo circiter aquæ puræ fervidæ pondere solutum, coletur; dein evaporetur (1) donec octava tantum liquidi pars supersit, et ad crystallisandum per duos tresve dies seponatur. Crystalli e lixivio rursus evaporato eliciendæ, cum prioribus leni calore siccentur. Serva in vitro probe clauso.

Sit album, neutrum, crystallis cubicis deliquescentibus constans, in tribus quadrantibus aquæ et in sex partibus spiritus vini rectificatissimi (28°) solubile: inde adulteratio cum chloruretis potassico et natrico et cum nitrate natrico detegitur. Quum carbonatem vel sulphuretum kalicum continet, alcalinam reactionem præbet et cum acido chlorhydrico effervescit. Excessus iodii dignoscitur ex colore et quum solutio, addito acido chlorhydrico diluto, iodium amittit. Cum iodate potassico adulteratum ac in aqua solutum, adjuncto acido sulphurico diluto, colore fusco tingitur. Ut bromureti potassici præsentia dignoscatur, iodureto aqua soluto solutionem sulphatis cupri excedentem adde et miscelam acido sulphuroso satura; ita iodium sub forma proto-

(1) Quum liquidum reactionem alcalinam evaporando acquirit, ad perfectam neutralisationem adducitur ope acidi iodhydrici, quod recenter paretur gas hydrosulphuratum in aquam cum iodio commixtam immittendo usque dum decoloratus sit liquor, qui dein calefiat ad gas sulpho-hydricum expellendum et filtretur.

iodureti cupri totum præcipitatur, dum e contra bromuretum solutum remanet; liquor filtratus cum pari volumine aquæ chlori et tantillo ætheris in tubo vitreo clauso misceatur, æther supernatans, bromo soluto, colore e flavo rubro tingitur. Partes 10 iodeti kalici aqua solutæ et liquore nitratis argentici dejectæ, præbeant 14 partes iodeti argenti aqua et ammonia abluti et dein siccati.

IODURETUM SULPHURIS.

IODIDUM SULPHURICUM.

Sulphur iodatum. Sulphuretum iodii.

SI.

R. Iodii . . . . part. 4
Sulphuris sublimati puri . . . . » 1

In mortario porcellaneo bene contrita, leni calore colliquentur in laguncula angustiori, cujus tantum septem octavæ partes sunt implendæ et quæ cono chartaceo est claudenda. Iodium in collo lagenæ sublimatum igne caute liquetur ut fundum rursus petat, statim ac massa liquefiat ab igne amoveatur. Denique, laguncula refrigerata et fracta, massa auferatur et in vitro bene clauso servetur.

Sit massa cinereo-nigra, splendens; igne decomponitur, iodii vapores exhalans. Aqua bullienti nec non alcohole iodium separatur.

KERMES MINERALE COMMUNE.

SULPHIDUM STIBIOSUM IMPURUM.

Oxysulphuretum stibii. Sulphuretum stibiatum rubrum. Antimonium sulphuratum fuscum. Kermes igne paratum.

R. Sulphureti stibii nativi. . . . . part. 4
Carbonatis potassæ . . . . » 6
Sulphuris depurati. . . . . » 1

In pulverem tenuem redacta et probe commixta funde in crucibulo, igne moderato, materiamque liquefactam, in catinum ferreum effusam, protinus in pulverem tere et in

Aquæ bullientis. . . . . part. 50

immitte; coque per quadrantem horæ, continue spathula agitans; parum jam quiescat liquor et fervidissimus per linteum, charta tenui bibula obtectum, coletur. Refrigerato liquore, pulverem rubicundum qui ad fundum subsidit, ope filtri chartacei, separa. Materiem, a priori operatione residuam, denuo eadem ratione coque, hocque tamdiu repete, quamdiu pulverem rubicundum insigni copia refrigeratus liquor demittat.

Præcipitata jam omnia probe mixta aquæ frigidæ repetita affusione edulcora, et lenissimo calore sicca.

Nota. Hoc Kermes minus purum quam sequens, nonnisi in usum medicinæ veterinariæ dispenset Pharmacopola.

KERMES MINERALE CLUZELII.

SULPHIDUM STIBIOSUM CUM OXYDO STIBICO.

Oxysulphuretum stibii s. *antimonii. Sub-hydrosulphas antimonii. Hydrosulphuretum stibii. Sulphur stibiatum rubrum.*

R. Carbonatis natrici crystallisati. . . . . part. 20

Solve, in lebete ferreo, cum

Aquæ fontis fervidæ. . . . . » 200

Solutioni ebullienti et inter agitandum admisce

Sulphureti antimonii nigri porphyrisati » 1

Coque per horam frequenter agitando. Solutionem fervidam cola in vas calefactum et tantum aquæ bullientis continens, quantum durante operatione avolaverit. Filtratione peracta, vas obtectum seponatur. Præcipitatum refrigeratione natum post duos dies colando collige; cum aqua cocta frigida, donec hæc saporis expers transeat, ablue; inter chartam bibulam preme; in loco obscuro, temperatura 25° C. non excedente, sicca; cribro serico succerne ac in vitro sicco, probe claudendo et a luce secluso, serva.

Sit pulvis levis, purpureo-fuscus, splendoris proprii velutini, fere intactilis, odoris et saporis expers, in aqua frigida et in liquore ammoniæ causticæ insolubilis. In acido chlorhydrico calido, cum gas sulpho-hydrici effervescentia solvitur. In tubo vitreo calefactus aquam edat, et residuum sulphureto stibioso nigro simile, relinquat. Pro cæteris inquinationibus vide Antimonium depuratum.

LACTAS FERRI.

LACTAS FERROSUS.



$$FeO, C^6H^5O^5 + 3HO = FeO, \bar{L} + 3HO.$$

R. Limaturæ ferri. . . . . part. 1

Acidi lactici. . . . . » 1

Aquæ puræ. . . . . » 4

Acidum aqua dilutum ferro affunde et simul, moderato calore, per horas sex vel octo digerantur; dein additis aquæ puræ partibus duabus ebulliant, donec reactio acida fere omnino evanuerit. Liquor tum calidus filtretur crystallisandusque seponatur. Non raro pars aliqua lactatis in

crystallos aciculares subsidit; his separatis, lixivium remanens fere ad siccitatem cito, sed igne sensim imminuto, evaporetur. Residuum crystallis additum inter chartam bibulam loco calido siccetur. Serva in vitris probe clausis et luci non perviis.

Sit albus et in aqua parumper solubilis; in aëre sicco ægre oxydatur; aqua cum eo permixta et dein filtrata nullum cum chlorureti baryi liquore præcipitatum edat. In cochleari platineo flammæ expositus candescat nec tumescat, pulverem relinquens oxydi ferri cinereum, qui chartæ affrictus colorem læte rubrum concipit. Ne sit saccharo lactis aut amylo inquinatus.

LINIMENTUM AMMONIACALE.

Linimentum ammoniatum. Linimentum volatile.

R. Olei Olivarum	part.	90
Ammoniæ liquidæ	»	10
		100

Mixta in vase vitreo agitentur donec coierint.

LINIMENTUM AMMONIACALE FORTIUS.

R. Olei Olivarum	part.	80
Ammoniæ liquidæ	»	20
		100

LINIMENTUM AMMONIACALE CAMPHORATUM.

R. Olei Olivarum	part.	80
Camphoræ	»	10
Ammoniæ liquidæ	»	10
		100

LINIMENTUM CALCIS.

Sapo calcareus.

R. Aquæ calcis	part.	88
Olei Amygdalarum	»	12
		100

Misceantur ex tempore, in vitro accurate agitando.

LINIMENTUM SAPONATUM CUM OLEO TEREBINTHINÆ.

R. Saponis animalis sicci pulverati	part.	60
Olei volatilis Terebinthinæ	»	940
		1000

Solve balneo vaporis.

LIQUOR s. ELIXIRIUM GARI.

R.	Alcoholati aromatici cum Croco. . . .	part.	400
	Syrupi capillorum Veneris.	»	500
	Aquæ florum Aurantiorum.	»	100
Misce.			1000

LOOCH ALBUM.

Looch album Parisiense. Looch amygdalinum.

R.	Olei Amygdalarum.	part.	12
	Gummi tragacanthi pulverati.	»	1
	Syrupi Amygdalarum.	»	24
	Aquæ fontanæ.	»	63
			100

Misce gummi cum oleo; adde, diligenter agitans, syrupum et aquam.

MAGNESIA.

OXYDUM MAGNESICUM.

Magnesia usta s. *calcinata.*

MgO.

Carbonas magnesiæ in crucibulo Hassiaco obtecto, igne fortiori uratur, donec magnesia aqua madefacta, affuso acido chlorhydrico non effervescat. Refrigeratus in lagenis minoribus bene clausis condatur.

Quum major, quam quæ in crucibulo continetur, magnesiæ copia requiritur, tum ex crucibulo inter prunas adhuc collocato eximatur magnesia ope cochlearis ferrei, in patinam fictilem conjiciatur et in crucibulum vacuum rursus carbonas magnesiæ ingeratur ut, imposito operculo, candescat. Ustione peracta, iterum atque iterum operatio renovetur donec justa præparati moles obtenta fuerit, quæ cito in lagenas ingeratur probe claudendas.

Sit alba, levissima, acidis dilutis penitus sine effervescentia, solubilis. Solutio ope ammoniæ liquidæ saturata, addito liquore oxalatis potassæ, non turbetur.

MEDULLA BOVINA DEPURATA.

R. Medullæ Bovinæ recentis quantum velis.

Medullam aqua frigida probe elotam aquæ balneo liqua; per linteum exprime et de novo liquatam ad usum serva in vitris minoribus perfecte implendis et claudendis. Paretur, quantum fieri potest, ex tempore.

Eadem ratione obtinentur :

AXUNGIA PORCI depurata ;

SEVUM OVILLUM depuratum.

MEL DEPURATUM.

Mellitum simplex. Mel despumatum.

R.	Mellis	part.	1000
	Cretæ	»	16
	Aquæ fontanæ	»	250

Mixta in vase stanneo vel porcellaneo, igne leni calefac et simul ac ebulliunt, adde albumen ovi cum aquæ partibus 100 divisum; coque parumper; dein ab igne remove et, ubi paululum subsiderit creta, per pannum cola et evapora, si necesse est, balneo vaporis usque dum in mellito calido Aræometrum 32° notet. Serva in loco frigido.

Sit limpidum, e flavo-fuscum, odoris et saporis genuini.

MEL ESCHAROTICUM.

Unguentum sub-acetatis cupri cum melle. Oxymel Æruginis. Unguentum Ægyptiacum.

R.	Sub-acetatis cupri	part.	5
	Aceti diluti	»	7
	Mellis despumati	»	14

Mixta coquantur sub continua agitatione, donec colorem rubrum et mellis consistentiam acquisiverint. Serva in vase porcellaneo probe clauso.

MELLITUM ROSARUM.

Mel Rosatum.

R.	Petalorum Rosæ rubræ	part.	100
	Sacchari	»	330
	Mellis despumati	»	500

Rosarum petala in aquæ bullientis pondere sextuplo digere per horæ sextantem et colando exprime; iterum iterumque repetatur operatio cum aquæ dimidio. Evapora tunc, donec ad quartam partem redigantur, secundam et tertiam colaturam, quibus admisce primam cum melle et saccharo; evaporando perge usque dum Aræometro 31° notet liquor. Ab igne remotum per pannum cola, ac in vase clauso, loco frigido, serva. Erunt mellis partes circiter 1000.

Sit coloris rubido-fusci.

MELLITUM MERCURIALE.

Mel Mercuralis.

Paretur uti mellitum præcedens cum herba Mercurialis siccata.

MELLITUM SCILLITICUM.

R. Squamarum Scillæ grossiuscule pulveratarum . part. 50
Sacchari . . . . » 330
Mellis despumati. . . . . » 500
Aquæ quantum sufficit.

In apparatum depulsorium ingere Scillam et pars solubilis aqua frigida secundum leges artis abstrahatur, ut fiat dein mellitum cum liquore scillitico. Serva in loco frigidiori.

MORPHINA.

Morphium. Morphinum.



$$C^{34}H^{19}NO^{6}+2HO=\overset{+}{Mo}+2HO.$$

R. Opii Smyrnæi concisi. . . . . part. 10
Iterata maceratione, quaque vice cum
Aquæ fervidæ . . . . » 30
exhauriatur. Solutionibus evaporatione ad dimidium concentratis et ad ebullitionem calefactis infunde paulatim
Lac calcis fervidum
in quo pondus calcis quartam partem opii adhibiti adæquet. Coque aliquantisper et, dum fervet, per linteum cola. Liquor filtratus evaporatione maxime concentretur, iterumque cito filtratus cum
Chloreti ammonici pulverati . . . . part. 1
per horæ quadrantem coquatur et dein seponatur. Morphina in crystallos concrescit quæ lege artis mundentur. Caute serva.

Crystalli prismaticæ, decolores, saporis amari, reactionis alcalinæ, in aqua frigida vix, in fervida paulum, in alcohole bullienti facilius, in æthere minime, in liquore vero potassæ causticæ quam maxime solubiles. Igne comburantur absque residuo. Acido nitrico colorem rubrum, chlorureto ferrico soluto cæruleum, oxalate ferrico purpureum induant.

Nota. Narcotinæ præsentia in morphina ejusque salibus dignoscitur ex eo, quod præcipitatum ex addito liquore potassæ causticæ ortum, excessu potassæ non omnino evanescat; dignoscitur quoque ope ætheris in quo narcotina solvitur.

MOXA ARTEMISIÆ.

R. Foliorum Artemisiæ probe siccatorum, quantum velis.

Contunde in mortario marmoreo cum pistillo ligneo, tum separetur per cribrum pars fibrosa, quæ est servanda.

MUCILAGO GUMMI ARABICI.

R.	Gummi Arabici pulverati	part.	200
	Aquæ fontanæ	»	800
			1000

Solve terendo in mortario marmoreo. Paretur ex tempore.

Nota. Medico mucilaginem spissam roganti dispensetur mucilago ex una parte gummi et duabus aquæ partibus confecta. Quum vero præscribitur mucilago levis, paranda est mixtura ex una parte gummi et novem partibus aquæ.

MUCILAGO GUMMI TRAGACANTHÆ.

R.	Gummi Tragacanthæ pulverati. . . .	part.	12
	Aquæ fontanæ.	»	988
			1000

Tere diligenter in mortario lapideo, aquam alternis vicibus affundens.

Nota. Mucilago spissa paretur cum gummi partibus 66.

MUCILAGO SEMINUM CYDONIORUM.

R.	Seminum Cydoniorum.	part.	10
	Aquæ destillatæ.	»	1000

Vitro injecta per semihoram conquassa, denique cola.

Nota. Mucilago spissa paretur cum seminum partibus 50.

MUCILAGO SALEP.

R.	Radicis Salep pulveratæ.	part.	10
	Aquæ fontanæ	»	1050

Coque paulisper ut sint mucilaginis partes 1000.

Nota. Mucilago spissa paretur cum partibus 20 Salep, et decoctum cum partibus 5.

NITRAS ARGENTI CRYSTALLISATUS.

NITRAS ARGENTICUS CRYSTALLISATUS.

Azotas argenti. Argentum nitricum crystallisatum.

AgO,NO^5.

R.	Argenti puri	part.	1
	Acidi nitrici depurati 30°-33°.	»	2

Solutionem peractam in vase porcellaneo fere ad siccum evapora; residuum in aqua destillata solve et solutionem lege artis in crystallos redige, lagunculis bene clausis denigratisque servandas.

Sint crystalli albæ, pellucidæ, tabulares, pari pondere aquæ solubiles. Solutio, affuso ammoniæ causticæ excessu, non cærulescat. Materiis organicis inquinatæ lucis influxu nigrescunt et decomponuntur.

NITRAS ARGENTI FUSUS.

Argentum nitricum fusum. Lapis infernalis.



R. Nitratis argentici crystallisati quantum velis.

In crucibulo argenteo vel in catino porcellaneo, igne leni, liquetur donec olei instar fluat, et tum cito in modulum ferreum calefactum, sevo non illitum, infundatur. Bacillos refrigeratos e modulo sublatos serva in vitro probe clauso, luci subtracto.

Sint bacilli sicci, coloris albi aut cineracei, intus texturæ stellato-radiatæ, in aqua solubiles. Solutio sit incolor nec, affusa ammonia liquida, cærulescat. Argento ope acidi chlorhydrici penitus præcipitato, solutio filtrata absque residuo evaporetur; sedimentum acido chlorhydrico enatum in ammonia liquida plane solvatur.

SUB-NITRAS BISMUTHI.

SUBNITRAS BISMUTHICUS.

Bismuthum nitricum præcipitatum. Magisterium Bismuthi.



R. Acidi nitrici puri. . . . . part. 3
Bismuthi depurati minutim contusi . . . » 1

Immisso acido in cucurbitam vitream amplam et sub camini spiraculo positam, sensim addatur bismuthum. Quum vapores nitrosi non amplius emanant, massa ad ebullitionem calefiat et interdum agitetur ut metallum facilius solvatur. Crastina die, liquor decanthetur, et in

Aquæ destillatæ. . . . . part. 30

guttatim et strenue agitando, instilletur. Sedimentum inde ortum separetur, in filtro aqua destillata sæpius edulcoretur, denique leni calore siccatum a luce et præsertim ab acido sulpho-hydrico, quo nigrescit et decomponitur, servetur.

Sit pulvis albissimus, odoris expers, nullius fere saporis, omnino et sine effervescentia in acido nitrico solubilis. Hæc solutio aquæ destillatæ parva copia diluta, nec nitratis argentici, nec nitratis barytici, nec sulphatis sodici liquore turbetur. Calore fortiori decompositus oxydum bismuthicum flavum relinquit.

PROTO-NITRAS HYDRARGYRI.

NITRAS HYDRARGYROSUS.

Hydrargyrum nitricum oxydulatum. Mercurius nitrosus.



R. Hydrargyri puri. . . . . part. 10
Acidi nitrici. . . . . » 5
Aquæ destillatæ . . . . » 1

Cucurbitæ vitreæ ingesta interdumque versata, in loco tepido digeran-


tur, per duos tresve dies. Crystalli formatæ in infundibulo vitreo colligantur ut liquor adhærens guttatim exstillet; dein inter chartam bibulam pressæ siccentur et in lagena rite clausa serventur.

Aqua decomponitur, sed aqua acido nitrico acidulata solvitur. Præcipitatum album liquore chlorureti natrici, nigrum vero liquore ammoniæ causticæ demittat. Quum nitrate hydrargyrico inquinatus est, tunc admixto chlorureto sodii excedente, colaturam exhibet quæ præbet reactiones bi-chlorureti hydrargyri.

NITRAS HYDRARGYRI AMMONIACALIS.

NITRAS HYDRARGYROSUS AMMONIACALIS.

Hydrargyrum oxydulatum nigrum. Mercurius solubilis Hahnemanni.



Hg^2O,NO^5+Hg^2,NH^2.

R. Nitratis hydrargyrosi crystallisati. . . . part. 10

Solve in

Aquæ destillatæ . . . . » 100

quibus antea addita fuerit

Acidi nitrici puri . . . . pars 1

Solutioni guttatim et continuo agitans instilla

Ammoniam liquidam (partes circiter 5) octuplo aquæ puræ dilutam

donec præcipitatum quod inde oritur pallescere incipiat. Tunc sedimentum statim subsidendo separa; aqua destillata ablue et inter chartam bibulam expressum, ac loco obscuro, solito aëris calore, exsiccatum contere. Servetur vitro bene clauso a luce secluso.

Sit pulvis nigerrimus, vix palpabilis, aspectus velutini, odoris expers, absque globulis Hydrargyri immixtis. Igne totus avolet; in aqua sit insolubilis. Ope caloris acido acetico solvatur, exigua tantum pulveris fusci quantitate relicta.

NITRAS ACIDUS HYDRARGYRI LIQUIDUS.

NITRAS HYDRARGYRICUS ACIDUS ET LIQUIDUS.

R. Hydrargyri . . . . part. 1

Acidi nitrici 35° . . . . » 2

In cucurbita vitrea sat ampla calore leni digere usque dum Hydrargyrum plane solutum sit. Solutionis dein quartam partem evapora, et quod remanet in vitro rite clauso ad usum reconde.

Liquor sit densus, quam maxime acidus, potassæ causticæ solutione præcipitatum flavum demittens.

NITRAS POTASSÆ DEPURATUS.

NITRAS KALICUS DEPURATUS.

Nitrum depuratum. Kali nitricum depuratum.

KO,NO^5.

R. Nitratis kalici venalis . . . . part. 1
Aquæ destillatæ fervidæ. . . . . » 2

Nitras lebeti stanneo vel cupreo, stanno obducto, immissus, aqua bullienti solvatur. Solutio fervida filtretur et loco frigido seposita continuo agitetur, quamdiu pulverem salinum amittit et donec penitus refrigerata sit. Tunc lixivio decanthato, massa salina linteo expanso immittatur ut liquidum adhærens effluat, et aquæ destillatæ frigidæ decima parte abluta, modico calore siccetur. E lixivio residuo cum aqua lotionum commixto sal eliciatur eodem modo purificandus, aut pro nitro crudo asservandus.

Sit siccus, non deliquescens. Solutio nec liquore carbonatis sodæ, nec nitrate argenti liquido turbetur.

NITRAS SODÆ DEPURATUS.

NITRAS NATRICUS DEPURATUS.

Natrum nitricum depuratum.

NaO,NO^5.

R. Nitratis sodæ venalis quantum velis,
Aquæ destillatæ duplum pondus.

Solutionem calide factam et filtratam ad crystallisationem evapora. E lixivio iteratim evaporando et refrigerando crystallos elice, quarum ultimo concretæ ad depurationem alteram reserventur. Serva in vasis vitreis probe clausis.

Crystalli decolores, pellucidæ, rhomboido-cubicæ, in aëre humido deliquescentes. In dupla aquæ frigidæ copia solvuntur.

NITRAS STRYCHNINÆ.

NITRAS STRYCHNICUS.

Strychnium nitricum.

C^{44}H^{24}N^{2}O^8,HO,NO^5.

R. Strychninæ quantum velis,
Acidi nitrici puri quantum satis.

Acido decuplo aquæ pondere diluto et calefacto adde strychninam sub perpetua agitatione donec liquor neuter sit. Solutionem calide filtratam leni calore evapora ac in crystallos redige quas ablutas et siccatas in vase clauso cautissime serva.

Sint crystalli albæ, sericei splendoris, aciformes, aqua et alcohole, non autem æthere solubiles, in igne plane comburentes et a brucina liberæ.

OLEUM ABSINTHII ÆTHEREUM s. VOLATILE.

R. Herbæ Absinthii recentis quantum velis,
Aquæ fontanæ quantum satis.

Misceantur in vesica destillatoria fiatque destillatio, sub continua ebullitione, quamdiu aqua oleo imbuta appareat. Oleum elicitum ab aqua separetur et aqua stillata super nova Absinthii copia, cum aquæ communis sufficiente quantitate, destilletur. Idem repetatur donec olei quantitas desiderata obtenta fuerit. Servetur in vitro probe clauso, loco obscuro et frigidiori.

Eodem modo parentur :

OLEA ÆTHEREA

Anisi, e semin. siccis;
Badianæ, e semin. siccis;
Basilici;
Calami, e radice;
Carvi, e semin. siccis;
Chamomillæ Romanæ;
Citri, e cortice;
Cubebarum;
Cumini, e semin. siccis;
Fœniculi, e semin. siccis;
Hyssopi;
Juniperi, e baccis;
Macidis;
Majoranæ;
Melissæ citratæ;
Melissæ Moldavicæ;
Menthæ crispæ;
— piperitæ;
— Pulegii;
Origani;
Pimentæ;
Rorismarini;
Rutæ;
Sabinæ;
Salviæ;
Serpylli;
Tanaceti;
Thymi;
Valerianæ, e rad. siccis.

Hæc olea odorem aromaticum proprium præ se ferant. Sint limpida et alcohole 28° plane solubilia. Gutta chartæ albæ inspersa calore avolet, nulla relicta macula oleosa. Quando oleum æthereum cum aquæ parte æquali in tubulo vitreo commiscetur, ne lactescat aqua, nec, aqua separata, olei volumen imminuatur.

Nota. Destillatio olei ætherei e plantis quam aptissime instituitur in vase destillatorio ita constructo ut aquæ vapores, ex alio vase emissi, per herbas transeant.

OLEUM ABSINTHII INFUSUM.

Infusum oleosum Absinthii. Oleum Absinthii coctum.

R.	Herbæ Absinthii siccæ et contusæ. . .	part.	125
	Olei Olivarum	»	1000
	Aquæ	»	400

Absinthium cum aqua in lebetem stanneum immitte; post macerationem per duas horas, calefac ex balneo vaporis, Absinthioque superinfunde oleum. Massam per tres horas infusam effunde in saccum cannabinum aqua fervida madentem, et exprime prelo inter laminas calentes. Post subsidentiam, oleum ab aqua separatum per chartam bibulam filtra. Servetur in vase clauso.

Simili modo parentur :

OLEA INFUSA

Belladonnæ ;
Cicutæ ;
Chamomillæ vulgaris ;
Hyoscyami ;
Hyperici ;
Meliloti ;
Solani nigri ;
Stramonii.

OLEUM AMYGDALARUM ÆTHEREUM s. VOLATILE.

R. Placentarum ex Amygdalis amaris frigide et recens expressis, quantum velis.

Cum aqua frigida in pultem liquidam redige et ingere vasi destillatorio in quod aquæ vapores ex alio vase pervadant, uti ad parandam Amygdalarum aquam præscriptum; fiat tum destillatio quamdiu aqua oleo gravida prodit. Oleum in fundo lagenæ collectum ab aqua separetur et in lagunculis clausis cautissime servetur.

Sit limpidum, pallide luteum, saporis acris, Amygdalas amaras valde redolens. Pond. spec. 1,043. Aëris accessu in acidum benzoïcum vertitur.

Eodem modo paretur :

OLEUM Sinapis æthereum, e seminibus Sinapis nigri.

OLEUM AMYGDALARUM EXPRESSUM.

R. Amygdalarum dulcium quantum velis.

Ope lintei crassioris pulverem adhærentem deterge; contusas in mortario ferreo, ope preli absque calore exprime, donec omne oleum fuerit elicitum, quod filtratum per chartam bibulam in loco frigidiori serva.

Sit limpidum, subflavescens, saporis proprii, dulcis, odoris fere nullius.

Eodem modo parentur :

OLEUM Juglandis regiæ ;
— Papaveris albi.

OLEUM ANIMALE ÆTHEREUM.

Loco *Olei animalis Dippelii.*

R. Olei animalis fœtidi quantum velis.

Per tubulum infunde in retortam vitream balneo arenæ imponendam; excipulum appone et leni calore destillationem institue, donec olei quarta fere pars effluxerit, vel quamdiu oleum tenue prodit coloris expers. Oleum sic obtentum cum aquæ quadruplo novæ destillationi ex alia retortula subjice, quamdiu limpidissimum et plane decolor emanat. Hoc ab aqua separatum immittatur in lagunculas ex toto replendas, probe claudendas et sub aqua inverse immersas. Servetur loco obscuro.

Oleum tenue, limpidissimum, coloris expers, odoris gravissimi, aromatici. Pond. specif. 0,750.

Simili modo paretur :

OLEUM Petræ rectificatum.

Sit coloris expers vel flavescens.

OLEUM ANISI SULPHURATUM.

Balsamum Sulphuris anisatum.

R. Sulphuris sublimati et loti.	part.	1
Olei volatilis Anisi.	»	8

Liquetur sulphur in bulbo vitreo igne sensim augendo, donec spissescat. Tunc ab igne remove, oleum infunde sulphuri, et bulbum imperfecte clausum, per horam, aquæ ferventi expone. Refrigerato denique vase, balsamum auferatur et servetur in vitro clauso, luci subducto.

Sit flavum et odoris Anisi.

Eodem modo paretur :

OLEUM Terebinthinæ sulphuratum.

OLEUM CACAO.

Butyrum Cacao.

R. Seminum Cacao quantum velis.

Decorticata, leviter tosta, et minutim contusa in mortario ferreo mo-

dice calefacto, terantur donec in massam quasi unguinosam redacta sint. Tunc sacco cannabino inclusa, aquæ bullientis vapore imbuantur et inter laminas metallicas, aqua fervida calefactas, prelo exprimantur. Oleum elicitum liquefiat balneo vaporis et per chartam bibulam calide filtretur. Refrigeratum servetur in vase clauso.

Sit recens flaviusculo-album, sevo ovillo quidquam solidius, odorem et saporem seminum Cacao referens, nunquam rancidum. Facile in æthere sed vix in alcohole solvitur. Pond. specif. 0,810.

OLEUM CAJEPUTI RECTIFICATUM.

R. Olei Cajeputi	part.	1
Aquæ	»	10

E vesica destillatoria fiat destillatio, usque dum duo trientes olei in excipulum transierint.

Sit coloris expers.

Eodem modo parentur :

OLEUM Terebinthinæ rectificatum;
— Citri rectificatum.

OLEUM CAMPHORATUM.

Solutio oleosa Camphoræ.

R. Camphoræ	part.	100
Olei Olivarum	»	900
		1000

Tere Camphoram cum pauxillo alcoholis; adde oleum fiatque solutio.

OLEUM CANTHARIDATUM.

Oleum Cantharidum coctum s. *infusum.*

R. Cantharidum contusarum	part.	100
Olei Olivarum	»	1000
Aquæ quantum sufficit.		

Cantharides coque cum aquæ partibus quingentis per horæ sextantem et cola cum expressione. Residuum iterum iterumque coque ex eadem aquæ quantitate, colaturas misce et evapora balneo mariæ ad partes 300. Tunc adde oleum, calefac per horæ quadrantem, sedulo et fortiter massam agitans. Oleum refrigeratum ab aqua separatum filtretur.

Sit limpidum, flavescens, odoris Cantharidum.

OLEUM CINNAMOMI.

$C^{20}H^{11}O^{2}$.

R. Corticis Cinnamomi Ceylanici contusi. .	part.	5
Chloruretum sodii.	»	1
Aquæ.	»	10 s. Q. S.

Cinnamomo in aqua per biduum macerato, adde chloruretum et destilla donec aqua defluat limpida. Post viginti quatuor horas, quum oleum in imo subsiderit, liquorem innatantem in cucurbitam refunde, denuo destillationem institue, et idem ter quaterque repete, quamdiu oleum elicitur.

Sit recens coloris flavi, dein fuscum ducens, grate fragrans, saporis primum dulciusculi, dein urentis. Pond. specif. 1,044. Aëre mutatur et acidum cinnamicum præbet.

Eodem modo parentur :

OLEA ÆTHEREA

Caryophyllorum, Cinnamomi Sinensis, et Sassafras.

OLEUM CROTONIS TIGLII.

Paratur, sed caute, sicuti cætera olea pinguia, seminibus decorticatis mola vel alio modo contusis, dein prelo expressis. Extrahi tamen potest ætheris ope, quum parva tantum copia requiritur aut non purum occurrit. Caute dispensetur.

Sit limpidum, coloris e fusco flavi, odoris fere expers, saporis acerrimi.

OLEUM IODATUM.

Solutio Iodii oleosa.

R. Olei Amygdalarum.	part.	990
Iodii.	»	10
Solve.		1000

Liquidum primo fusco-rubrum, sensim colorem amittens, paulo post rursus colorem induens fuscum qui, oleum conquassando cum solutione levi bi-carbonatis kalici, auferri potest.

OLEUM LAURO-CERASI.

Paretur uti oleum Absinthii. Caute servetur.

Sit decolor vel flavescens, aqua gravius.

OLEUM LINI SULPHURATUM.

Balsamum Sulphuris simplex.

R. Olei Lini.	part.	4
Flores Sulphuris loti	»	1

Mixta in vase figulino aut ferreo capaci coque igne leni, cum spathula semper movendo, donec in massam homogeneam coeant. Serva lagenis, loco frigidiori.

Sit spissum, coloris fusco-rubri, in oleo Terebinthinæ penitus solubile.

OLEUM DE NARCOTICIS.

Balsamum tranquillans s. tranquillum.

R. Foliorum Belladonnæ siccatorum . .	part.	15
— Hyoscyami nigri.	»	15
— Nicotianæ Tabaci	»	15
— Solani nigri.	»	15
— Stramonii	»	15
Olei Olivarum.	»	1000
Aquæ	»	200

Herbas leniter contusas cum aqua misce et, post macerationem per duas horas, adde oleum; calefac balneo mariæ, pergeque uti præscriptum est de oleo Absinthii infuso; tum massam oleosam filtra et sume

Olei filtrati.	part.	995
— volatilis Lavandulæ	»	1
— — Menthæ piperitæ . . .	»	1
— — Origani.	»	1
— — Rorismarini.	»	1
— — Thymi vulgaris	»	1
		1000

Misce ac in vasis probe claudendis, loco obscuro et algido, serva.

OLEUM OVORUM.

R. Vitellorum recentium quantum velis.

Immitte in pelvim argenteam seu porcellaneam balneo vaporis expositam; leniter agita et, quum ex vitellis inter digitos pressis facile exsudat oleum, ea sacculo cannabino include et inter laminas calefactas prelo exprime. Oleum expressum per chartam calide filtra, ac in lagunculis ex toto repletis, probe clausis, serva loco frigido.

Sit spissiusculum, opacum, coloris vitellini, saporis dulcis, calore facillime liquescens.

OLEUM PHOSPHORATUM.

Solutio Phosphori oleosa.

R. Phosphori	part.	2
Olei Olivarum.	»	100

Immitte phosphorum in lagenam olei repletam, quæ probe clausa in aquam fervidam immergatur ut phosphorus liquetur; conquassetur dein oleum calidum per horæ quadrantem et refrigeratum per linteum cola.

Paretur ex tempore.

Sit limpidum, fumans et a phosphoro non soluto liber.

OLEUM SUCCINI RECTIFICATUM.

Oleum Succini depuratum.

R. Olei empyreumatici Succini destillatione sicca parati, quantum velis,
Aquæ sextuplum.

Destillentur e retorta vitrea balneo arenæ, ita ut olei tertia pars in retorta maneat, vel quamdiu oleum incolor transit. Hoc ab aqua separatum immittatur in lagenas minores, loco obscuro servandas.

Sit flavescens.

NOTA. Oleum Succini rectificatum semper dispensandum est, nisi expressis verbis oleum crudum a Medico postuletur.

OPIUM DEPURATUM.

Opium colatum.

R. Opii optimæ notæ quantum velis.


Opium cum duplo aquæ fervidæ pondere leni coctione emollitum per pannum linteum premendo cola; residuum cum dimidia aquæ parte iterum coque et cola, colaturasque ad opii consistentiam evaporatione inspissa.

Partes 100 opii puri contineant ad minimum 7 partes morphinæ.

OXYCHLORURETUM ANTIMONII s. STIBII.

CHLORIDUM STIBIOSUM CUM OXYDO STIBICO.

Pulvis Algarothi.



$$SbCl^3+2SbO^3+HO=3(SbO^2Cl)+HO.$$

R. Protochlorureti stibii liquidi. . . . . . part. 1

Guttatim instilla in

Aquæ puræ . . . . » 25

Sedimentum in filtro collectum atque edulcoratum blando calore sicca.

Pulvis albus, in aqua non solubilis; solvitur acido chlorhydrico, a quo magna aquæ copia iterum separari potest.

OXYDUM ANTIMONII s. STIBII.

ACIDUM STIBIOSUM S. OXYDUM STIBICUM.

Stibium oxydatum griseum.

SbO^3.

R. Oxychlorureti stibii. . . . . part. 1

Cum aqua in pultem redige et adde

Carbonatis natrici solutionem concentratam

donec liquor, post digestionem et coctionem, leviter sit alcalinus. Sedimentum dein decanthando separatum et probe ablutum sicca.

Pulvis ex albo cinereus, saporis expers, neuter, in aqua non solubilis. Calore rubro liquatur et refrigeratus massam albescentem, crystallinam ostendit. Acido chlorhydrico plane sed sine effervescentia solvatur; in carbone, ope tubi ferruminatorii, ignitus, in metallum reducatur absque odoris alliacei evolutione.

PER-OXYDUM AURI HYDRATUM.

HYDRAS OXYDI AURICI.

Aurum oxydatum.

Au^2O^3+HO.

R. Chloreti aurici. . . . . part. 1

Aquæ puræ . . . . » 400

Solutioni adde

Magnesiæ calcinatæ. . . . . » 4

et coque paulisper. Præcipitatum enatum, quamdiu aqua abluens addito acido chlorhydrico flavescit, edulcoretur; dein in acido nitrico frigido viginti partibus aquæ diluto digeratur, ut deinceps, primo, aqua cum acido nitrico acidulata, et postea aqua pura abluatur, donec lixivium nec nitrate argentico, nec phosphate natrico præcipitetur. Hydras oxydi aurici eo modo paratus filtro colligatur et loco obscuro in aëre libero siccetur. Servetur vitris clausis et denigratis.

Pulvis e rutilo fuscus; luce resolvitur. Calore 100° aquam amittit. In acido chlorhydrico penitus solvatur et calori rubro expositus aurum purum relinquat.

OXYDUM FERRI NIGRUM.

OXYDUM FERRICO-FERROSUM.

Æthiops martialis. Ferrum oxydulatum nigrum.

R. Limaturæ ferri puri quantum velis.

Per cribrum setaceum transmitte et, in patina porcellanea, primum cum

aqua communi et dein, quum hæc limpida effluit, aqua destillata ablue. Inclinata tunc patina, aqua innatans defluat et limaturam madidam, quam sæpius in die spathula ferrea agites et interdum, ut semper humida sit, aqua aspergas, temperatura 20°-30° C., aëri expone. Oxydatione limatura incalescit, colorem primo ochraceum, dein nigrum assumens. Post aliquot dies massa refrigerata in mortario ferreo conteratur et, in cribro setacco aqua abluatur quamdiu hæc oxydum secum volvens nigra perfluat. Limaturæ nondum oxydatæ maxima pars cribro retinetur; quæ vero cum oxydo cribrum transivit cito aquæ fundum petit et ab aqua et oxydo decanthatione facile secerni potest. Oxydum tunc filtro colligatur et, alcohole ablutum, cito sed leni calore siccetur. In lagenis rite clausis loco sicco, serva.

Sit pulvis niger, subtilissimus, magnetis vi obediens; acido chlorhydrico sine effervescentia solvatur et solutio e viride flava, affusa ammonia liquida, non cærulescat.

PER-OXYDUM FERRI CUM AQUA.

OXYDI FERRICI HYDRAS.

Ferrum oxydatum hydratum. Ferrum oxydatum fuscum. Crocus martis.



$$Fe^2O^3+Aq.$$

R. Sulphatis ferrosi puri . . . . part. 1
Aquæ destillatæ. . . . . » 15

Solutioni gas chlorum immitte quamdiu absorbetur et sepone per aliquot horas interdum agitando. Quo facto, instilla

Ammoniam liquidam

donec hæc leviter prævaleat. Præcipitatum filtro collige et rite ablutum, sed adhuc humidum ac gelatinæ consistentiam referens, in lagenas ingere quarum os latum sit et tamen bene claudatur. Adde dein eam aquæ copiam ut massa sex aut septem centesimas partes oxydi ferrici sicci contineat.

Sit e flavo fuscum, leve, fere saporis expers; reactionem nec alcalinam, nec acidam præbeat; acido chlorhydrico et acido acetico frigido sine effervescentia penitus solvatur, ac solutum liquore ferri-cyaneti kalici rubri non cærulescat.

Nota. In officinis omnibus semi kilogramma hujus oxydi præsto esse debet. Quum post aliquot tempus in crystallos abeat et tunc minori gaudeat efficacia, interdum renovandum est. Aqua submersum dispensetur.

OXYDUM HYDRARGYRI.

OXYDUM HYDRARGYRICUM.

Oxydum Hydrargyri rubrum. Hydrargyrum oxydatum rubrum. Præcipitatum rubrum.

HgO.

R. Hydrargyri puri. . . . . part. 1

In cucurbitam vitream immitte et adde

Acidi nitrici. . . . . part. 1

In balneo arenæ, sub camini spiraculo, igni primum leni, deinde fortiori expone quamdiu vapores nitrosi exeant. Cavendum ne nimio calore pars oxydi decomponatur, nec leniori subnitras Hydrargyri commixtus remaneat. Residuum in pulverem intactilem lævigatione cum aqua destillata calida redactum in loco obscuro siccetur et servetur.

Sit pulvis tenuissimus, læte ruber; igne totus in oxygenium et hydrargyrum absque residuo decompositus avolet, nec vapores nitrosos edat; acido nitrico plane ac sine effervescentia solvatur; aqua cum eo cocta reactionem leviter alcalinam, neutiquam acidam, præbeat.

OXYDUM ZINCI.

OXYDUM ZINCICUM.

Flores Zinci. Zincum oxydatum.

R. Zinci venalis quantum libet.

In crucibulo Hassiaco amplo et quod eo tegatur modo ut aëris accessus non impediatur, zincum funde donec flammam concipiat. Oxydum quod formatur in parte superiori crucibuli deponatur et inde interdum, cochlearis ferrei ope, auferendum est; quum omne fere zincum ita in oxydum conversum est, hoc maximæ aquæ quantitati immergatur ut separetur pars levior, quæ sola siccetur. In vitro clauso serva.

Sit pulvis albus, saporis et odoris expers; absque effervescentia acido chlorhydrico plane solvatur; solutio, addito hydrogenio sulphurato, nullum sedimentum efficiat, et, præcipitato zinco sulphureti ammonici ope, nec oxalate ammonico, nec phosphate natrico ammoniacali, sedimentum efformet.

OXYMEL SIMPLEX.

R. Acidi acetici diluti . . . . part. 300
Sacchari . . . . » 300
Mellis . . . . » 400

1000

Solve saccharum et mel ope balnei vaporis, in vase vitreo clauso, ut Oxymellis quantitas sit 1000.

Parentur eodem modo :

OXYMEL Colchicum cum aceto bulborum Colchici;
— Scilliticum — — Scillæ.

PASTA GUMMI ARABICI.

Loco *Pastæ de Althæa.*

R. Gummi Arabici	part.	1000
Sacchari	»	1000
Aquæ florum Aurantiorum	»	120

Gummi arabicum aqua frigida celeriter ablutum per duodecim horas rite macera cum aquæ partibus 1000. Solutioni adde aquæ fervidæ partes 1000 et agita ad perfectam gummi solutionem; subinde cola per pannum laneum aqua calida imbutum; colaturæ adde saccharum lenique evaporatione ad mellis spissioris consistentiam redige. Vas dein balneo mariæ expone et aliquot albumina ovorum (sex pro kilogrammate pastæ) cum aqua Naphæ in spumam redige, quam portiunculis minutis in massam ingere gummosam strenuaque agitatione subige ; massa dein inspissetur, usque dum spathulæ imposita, ab ipsa non amplius defluat; tunc effundatur in tabulam marmoream pulvere amylaceo conspersam. In loco temperato et sicco, servetur.

Sit massa nivea, levis, flexilis sed haud tenax, odoris suavis, in ore facile solubilis.

PASTA LICHENIS ISLANDICI.

R. Gummi Senegalensis	part.	1000
Sacchari	»	800
Lichenis Islandici	»	170
Aquæ florum Aurantiorum	»	60
Aquæ fontanæ quantum sufficit.		

Lichenem ab amaritie liberum repetita vice ex aqua coque. Decoctum colatum, admixtis gummi et saccharo, calore leni evapora ad crassitudinem mellis, massamque calidam effunde in tabulam marmoream, oleo Amygdalarum dulcium illitam.

Sit e viridi fusca, tenax, elastica, saporis grati Lichenis.

PASTA LIQUIRITIÆ.

Pasta Glycyrrhizæ.

R.	Gummi Arabici	part.	1000
	Sacchari	»	500
	Succi Liquiritiæ depurati et sicci . .	»	150
	Aquæ quantum sufficit.		


Gummi et saccharum solve uti pro Pasta gummi arabici præscriptum est; colaturæ adde succum Liquiritiæ prius aqua solutum, et evapora ad spissitudinem syrupi densioris. Tunc imponatur vas balneo aquæ ut massa lente refrigescat; dein, detracta pellicula, in cistulas rite paratas pastam effunde ac in caldario, calore 35°-45°, ad consistentiam sufficientem exsicca. In loco sicco servetur.

Massa nigra, tenax, elastica, odoris proprii debilis, neutiquam empyreumatici.

PHOSPHAS AMMONIÆ.

PHOSPHAS AMMONICUS.

Ammonium phosphoricum.



$NH^4O,2HO,PO^5$.

Paretur eadem ratione qua phosphas sodæ, carbonatem ammonicum carbonati natrico substituendo.

Sint crystalli magnæ, pellucidæ; igne in ammoniam et acidum phosphoricum resolvantur.

PHOSPHAS PEROXYDI FERRI.

PHOSPHAS FERRICUS.

Ferrum phosphoricum oxydatum.



Fe^2O^3,PO^5+4HO.

R. Perchlorureti ferri quantum velis,
Phosphatis sodæ soluti quantum satis.


Solve chloruretum ferricum in aquæ destillatæ sextuplo pondere et affunde solutionem phosphatis sodæ quamdiu enascitur præcipitatum, quod, addita aqua destillata et per aliquod tempus sepositum, fundum petit. Sedimentum rite ablutum calore leni sicca, et massa in pulverem redacta servetur.

Sit pulvis albidus, aqua insolubilis. In acido nitrico diluto leni calore solvatur; calori fortiori expositus fuscescat.

PHOSPHAS SODÆ.

PHOSPHAS NATRICUS.

Natrum phosphoricum.



$2NaO, HO, PO^5 + 24HO.$

R.	Ossium ad albedinem calcinatorum. . .	part.	6
	Acidi sulphurici 66°.	»	5
	Aquæ.	»	12

Ossa in pulverem redacta diluantur cum aqua in vase lapideo. Paulatim et inter agitationem affundatur acidum sulphuricum, miscelaque digeratur per viginti quatuor horas, vel donec in pultem homogeneam immutata sit. Tum cola cum expressione ; residuum ablue aqua pura, et liquores commixtos ad syrupi tenuioris spissitudinem evaporatos in loco frigido sepone. Post aliquot horas, iterum cola ac liquori colato, aqua diluto, infunde

Carbonatem natricum solutum

quamdiu effervescentia oritur, et donec reactio alcalina perspicua appareat. Liquor tunc filtratus evaporetur et loco frigido seponatur. Post crystallisationem, lixivium defusum iteratim evapora, quamdiu crystallos edit. Tandem crystalli collectæ nova crystallisatione mundentur et inter chartam bibulam siccatæ, vase clauso serventur.

Sint crystalli majores, odoris nullius, saporis salsi, recens paratæ pellucidæ, reactionis alcalinæ, in aquæ frigidæ partibus circiter quatuor, fervidæ vero duabus solubiles; alcohole non solvuntur. Solutio aquosa, addito nitrate argentico neutro, præcipitatum pallide flavum demittat; solutione nitratis argentici, cui acidum nitricum additum fuerit, non aut vix turbetur, et præcipitatum ex affuso liquore nitratis barytici ortum, fere totum acido nitrico solvatur. Acido sulpho-hydrico, vel ammonio hydro-sulphurato non coloretur.

PILULÆ ALOETICÆ CUM MYRRHA.

Pilulæ Rufi.

R.	Pulveris Aloes.	part.	48
	— Myrrhæ	»	24
	— Croci	»	12
	Mellis cum quarta parte alcoholis. . . .	»	16
			100

Fiat massa pilularis.

Nota. Fiant generatim pilulæ viginti centigrammatum, nisi earum pondus a Medico præscribatur, vel in Codice indicetur.

PILULÆ ALOETICÆ CUM SAPONE.

R.	Aloes	part.	50
	Saponis medicati	»	50
Fiat massa pilularis.			100

PILULÆ ALOETICÆ CUM HELLEBORO.

Extractum Catholicum.

R.	Colocynthidis	part.	3
	Agarici albi	»	2
	Hellebori nigri	»	2
	Aquæ	»	50 s. Q. S.

Coquantur ut fiat secundum legem artis extractum ad mellis consistentiam; tum adde

Pulveris Aloes Soccotrinæ	part.	4
— Scammonei	»	2

et evapora ad pilularem consistentiam, sub finem addendo aliquantulum alcoholis ut massa sit homogenea.

PILULÆ BALSAMICÆ.

Loco *Pilulæ Mortoni.*

R.	Gummi ammoniaci	part.	65
	Balsami Peruviani	»	5
	Acidi benzoici medicati	»	16
	Pulveris Croci	»	5
	Olei Anisi sulphurati	»	3
	Mellis	»	6
			100

Fiat massa pilularis in vase accurate clauso servanda.

PILULÆ BENEDICTÆ FULLERI.

R.	Aloes	part.	18
	Foliorum Sennæ	»	9
	Asæ fœtidæ	»	5
	Galbani	»	5
	Myrrhæ	»	5
	Croci	»	2
	Macidis	»	2
	Sulphatis ferrosi crystallisati	»	26

Singula seorsim trita misce et adde

Olei Succini	»	2
Mellis cum quarta parte alcoholis	»	26
		100

ut fiat massa pilularis in vase accurate clauso servanda.

PILULÆ CARBONATIS FERROSI.

Pilulæ ferruginosæ s. *Mellitum Vallet.*

R. Sulphatis ferrosi puri crystallisati. . .	part.	100
Carbonatis sodæ.	»	120
Mellis albi	»	50
Sacchari lactis pulverati.	»	10

Aquæ fervidæ, in qua quindecima pars sacchari solvatur, quantum satis.

Sulphatem ferri et carbonatem sodæ seorsim aquæ saccharatæ quadruplo pondere solve; solutiones fervidas in lagena bene claudenda misce, dein adde aquæ bullientis satis ut lagena penitus repleatur, et sepone ut carbonas ferrosus subsidat. Quo facto, defundatur liquidum; lagena celeriter aqua pura bulliente denuo repleatur, sicque perge donec liquidum defusum chlorureto baryi soluto non amplius turbetur. Sedimentum sic ablutum effunde super telam strictioris texturæ syrupo simplici imbutam et fortiter exprime; tum statim, in capsula porcellanea balneo vaporis exposita, cum melle et saccharo lactis commisce, ac evapora donec miscela pilularem consistentiam obtinuerit. Serva in vitro recte clauso et fiant, ex tempore, pilulæ quindecim centigrammatum.

Sit massa mollis, e viridi cinerea, saporis dulcis neutiquam salini, reactiones carbonatis ferrosi, non autem oxydi ferrici ostendens.

PILULÆ COPAIVÆ CUM CUBEBIS.

R. Balsami Copaivæ.	part.	28
Ceræ flavæ	»	14
Cubebarum pulveratarum.	»	58
		100

Ceræ balneo vaporis liquatæ adde Balsamum et Cubebas ut fiat massa pilularis, ex tempore paranda.

PILULÆ COPAIVÆ CUM MAGNESIA USTA.

R. Balsami Copaivæ.	part.	94
Magnesiæ recens ustæ.	»	6

Mixta seponantur per plures dies ut fiat massa consistentiæ Terebinthinæ spissioris. Ad pilulas conficiendas sume

Hujus massæ	part.	50
Pulveris radicis Althææ	»	50

PILULÆ HELLEBORI NIGRI COMPOSITÆ.

Pilulæ tonicæ Bacher.

R. Extracti Hellebori nigri.	part.	421
— Myrrhæ.	»	421
Pulveris Cardui benedicti.	»	158
		1000

Misce ut fiat massa dividenda in pilulas ponderis quinque centigrammatum.

PILULÆ HYDRARGYRICÆ.

Pilulæ mercuriales.

R. Hydrargyri	part.	33
Mellis.	»	33
Pulveris Rosarum rubrarum.	»	7
— sacchari.	»	10
— radicis Liquiritiæ	»	17
		100

Hydrargyrum cum melle et pulvere Rosarum in mortario lapideo tere donec globuli metallici visum effugiant; tum adde saccharum et pulverem Liquiritiæ, dein omnia simul contunde in massam homogeneam.

PILULÆ PROTO-IODURETI FERRI.

R. Iodii	part.	20,5
Limaturæ ferri	»	10
Aquæ destillatæ.	»	40
Mellis	»	35
Pulveris radicis Althææ	»	25
— — Liquiritiæ	»	15

Solutione iodureti ferrosi secundum leges artis parata, adde mel et in capsula porcellanea igne vivido evapora ad partes sexaginta, tum ab igne remove et adjice pulveres ut sint partes 100.

Massam in pilulas 20 centigrammatum redige, quæ cum pulvere ferri residuo obvolvendæ ac cum solutione ætherea balsami Tolutani illiniendæ, ne aëris aditu alterentur. Serva in lagunculis clausis.

Nota. Quævis pilula continet quinque centigrammata iodureti ferrosi.

PILULÆ JALAPPÆ.

Pilulæ purgantes.

R. Saponis Jalappini.	part.	3
Radicis Jalappæ pulveratæ.	»	1

Fiat massa pilularis exactissime mixta, in vase clauso servanda.

PILULÆ PURGANTES HAENII.

R. Extracti Catholici	part.	40
Pulveris Scammonei	»	20
— resinæ Jalappæ	»	20
Saponis medicati	»	20
		100

Fiat ex arte massa pilularis.

PILULÆ OPII COMPOSITÆ.

Pilulæ de Cynoglosso.

R. Extracti Opii	part.	116
Pulveris radicis Cynoglossi	»	116
— seminum Hyoscyami	»	116
— Myrrhæ	»	175
— Olibani	»	145
— Croci	»	45
— Castorei	»	43
Syrupi Opii cum quarta parte alcoholis	»	246
		1000

Pulveres debite mixti in massam pilularem ope syrupi redigantur, vase clauso servandam.

PILULÆ SCILLITICÆ COMPOSITÆ.

R. Pulveris Scillæ	part.	14
— Gummi ammoniaci	»	28
Saponis medicati	»	58
		100

Fiat ex arte massa pilularis.

POTASSA CAUSTICA SOLUTA.

HYDRATIS KALICI SOLUTIO.

Oxydum potassii solutum. Liquor Kali caustici. Potassa liquida. Lixivium causticum vegetabile.

R. Carbonatis potassæ depurati	part.	1
Aquæ	»	10

Solutioni calefactæ in sartagine ferrea, alta, operculo ferreo instructa, admisce sensim, inter ebullitionem et indesinenter agitando,

Calcis recens extinctæ . . . . part. 1

Per vices addenda est calx cum aqua in pultem tenuem redacta, donec pars liquidi bullientis colata, in acidum sulphuricum dilutum dilapsa, effervescentiam non amplius edat.

Miscela in eadem sartagine, operculo exacte imposito, seponatur ut sedimentum calcareum fundum petat. Quo facto, liquor limpidus supernatans in lagenas ex toto replendas et bene claudendas infundatur.

Sedimentum denuo coquatur cum tribus aquæ partibus per quadrantem horæ, et liquor subsidendo limpidefactus etiam in lagenas decanthatione et quidem filtratione transfundatur ad alios usus servandus. Post aliquot horas, decantha priorem liquorem in catinum ferreum mundum, et celeriter continua ebullitione ad pondus specificum 1,33-1,34 evapora. Servetur vitris probe obturatis.

Sit liquor limpidus, decolor aut subflavescens. Acido chlorhydrico non effervescat, nec turbetur. Continet circiter 26 partes potassæ causticæ siccæ.

POTASSA FUSA.

HYDRAS KALICUS.

Oxydum Potassii hydraticum. Kali causticum fusum. Lapis causticus.

KO, HO.

R. Potassæ causticæ solutæ quantum vis.

In lebete ferreo probe mundato seu potius argenteo ad siccitatem evapora cito et sub ebullitione continua. Tum calorem auge donec olei instar fluat massa, quam in mortario ferreo effusam adhuc calentem diffrange. Frustula statim vasi rite claudendo ingerantur.

Ad lapidem causticum Chirurgorum parandum, potassa fusa, quum olei ad instar calore obscure rubro leniter fluit, in modulum ferreum, modice calefactum et sevi pauxillo illitum, effundatur. Bacillos refrigeratione obtentos in vitris clausis, caute serva.

Sit alba aut albo-cinerea, in duabus partibus alcoholis rectificatissimi et in aquæ destillatæ parte dimidia solubilis. Sitque ab acido carbonico, salibus et metallis alienis, quantum fieri potest, libera. Solutio non nimis diluta ab acido tartrico excedente, præcipitatum album crystallinum, et acido nitrico saturata a chloreto platinico, flavum edat.

PULPA PRUNORUM.

R. Prunorum quantum velis.

In aqua communi coque donec emolliti sint et, separatis nucleis, pulpam per cribrum setaceum trajice ac ad debitam consistentiam evapora. Paretur ex tempore.

PULVERES AËROPHORI.

(*Soda powders.*)

R. Bicarbonatis sodici pulverati . . . . . gramm. 2
Detur in charta cærulea.

R. Acidi tartarici pulverati . . . . » 1,5
Detur in charta alba.

PULVERES AËROPHORI LAXANTES.

(*Sedlitz powders Anglorum.*)

R. Tartratis potassæ et sodæ . . . . . . gramm. 8
Bicarbonatis sodici . . . . » 2
Misce, et detur in charta cærulea.

R. Acidi tartrici pulverati . . . . » 2
Detur in charta alba.

PULVIS ACIDI CITRICI SACCHARATUS.

Pulvis pro Limonada.

R.	Acidi citrici	part.	6
	Sacchari albi.	»	93
	Alcoholeti Citri	»	1
			100

Eodem modo paretur :

PULVIS Acidi tartrici saccharatus.

PULVIS AËROPHORUS SACCHARATUS.

R.	Bicarbonatis sodici grossiuscule pulverati.	part.	274
	Acidi tartrici.	»	242
	Sacchari	»	484
			1000

Seorsim pulveres leni calore sicca et absque trituratione misce.

PULVIS ARSENICALIS COSMI.

R.	Pulveris Sulphureti hydrargyri rubri. .	part.	625
	— cinerum solearum vetustarum s. carbonis animalis.	»	250
	— Acidi arseniosi	»	125
			1000

Misce et cautissime serva.

PULVIS ASARI COMPOSITUS.

R. Herbæ Asari,
— Majoranæ,
Radicis Iridis Florentinæ, partes æquales.
In pulverem tritas misce.

PULVIS DENTIFRICIUS ACIDUS.

R.	Pulveris Coccionellæ	part.	30
	— Aluminis usti	»	30
	— Bitartratis potassæ	»	936
	Olei volatilis Bergamottæ	»	1
	— — Caryophyllorum	»	1
	— — Citri	»	1
	— — Lavandulæ	»	1
			1000

Pulveribus mixtis adjice, probe terendo, aquæ sufficientem copiam ut fiat massa mollis, quam leni calore siccatam in pulverem redige. Quo facto, adde olea ætherea.

PULVIS DENTIFRICIUS ALCALINUS.

R.	Bicarbonatis sodici	part.	200
	Boli Armenæ depurati	»	800
			1000

Fiat pulvis tenuissimus.

PULVIS DENTIFRICIUS NIGER.

R.	Carbonis lignei depurati	part.	600
	Corticis Peruviani fusci	»	300
	Myrrhæ	»	90
	Caryophyllorum	»	10
			1000

Separatim subtilissime pulverata misceantur.

PULVIS GUMMOSUS.

Pulvis s. *Species diatragacanthæ*.

R. Gummi Arabici,
— tragacanthæ,
Sacchari, singulorum partes æquales.

Pulverata misce.

PULVIS LIQUIRITIÆ COMPOSITUS.

Pulvis pectoralis Kurellæ.

R.	Foliorum Sennæ.	part.	160
	Radicis Liquiritiæ.	»	160
	Seminum Fœniculi	»	80
	Sulphuris depurati	»	80
	Sacchari.	»	520
			1000

Seorsim subtilissime pulverata misceantur.

PULVIS MAGNESIÆ COMPOSITUS.

Pulvis antacidus s. *terrestris.*

R.	Lapidum Cancrorum præparatorum. . .	part.	2
	Carbonatis magnesiæ pulverati	»	1

Probe misceantur.

PULVIS OPII COMPOSITUS.

Pulvis Ipecacuanhæ opiatus. Pulvis Doweri.

R.	Extracti Opii sicci	part.	90
	Radicis Ipecacuanhæ	»	90
	Sulphatis potassæ	»	820
			1000

Lege artis in pulverem trita misce, ac in vase clauso serva.

PULVIS PECTORALIS.

R.	Pulveris radicis Althææ.	part.	360
	— — Iridis Florentinæ . . .	»	160
	— — Liquiritiæ.	»	160
	— Gummi tragacanthæ	»	160
	Sacchari.	»	160
			1000

Misce.

PULVIS POTASSÆ ET CALCIS.


Causticum Viennense.

R.	Potassæ fusæ	part.	5
	Calcis vivæ	»	6

Fiat pulvis in mortario ferreo calefacto et servetur in vitris rite clausis.

QUININA.

Quinium. Chinina s. *Chininum.*



$C^{38}H^{24}N^{2}O^{4}+6HO$.

R. Sulphatis chinici. . . . . part. 1
  Aquæ destillatæ . . . . » 50

Misce et sensim instilla

  Acidi sulphurici diluti, quantum satis

ut solutio limpida fiat. Tum adde paulatim

  Ammoniam liquidam

donec leviter prævaleat. Quininam præcipitatam, in filtro collectam aqua ablue et loco calido siccatam vase obturato serva.

Pulvis albidus, inodorus, saporis peramari, aquæ frigidæ 400 partibus, fervidæ 200, ætheris 60 et alcoholis fervidi 2 partibus solubilis. Solvatur plane in acido sulphurico diluto et super lamina platinea combustus, ne cinerum quidem vestigia relinquat.

RESINA JALAPPÆ.

R. Radicum Jalappæ concisarum, quantum velis,
  Alcoholis 29° (91° C.) quantum satis.

Jalappa in cribro setaceo posita aquæ frigidæ immergatur per biduum ut partes in aqua solubiles auferantur. Tum radices leviter exprime, in frustula minuta abscinde ingereque in apparatum depulsorium, ut methodo lixiviatoria resinam ope alcoholis extrahas. Tincturis limpidis commixtis, alcohol destillando separetur; phlegma et resinam subsidentem e vase destillatorio effunde in aquam fervidam; liquidum aquosum rejice, et residuum aqua fervida ablue donec hæc defluat coloris expers; dein balneo vaporis sicca eo usque ut massa frigefacta fragilis sit.

Sit friabilis, e flavo fusca, fracturæ splendentis, in æthere insolubilis. Alcohole 28° et solutione potassæ causticæ plane solvatur. Prunis inspersa odorem ne spargat terebinthinaceum. Solutio alcoholica, chlorureto sodæ liquido instillato, non turbetur sedimento cæruleo vel viridi.

SALICINA.

Salicinum.



$C^{26}H^{18}O^{14}=C^{14}H^{8}O^{4}+C^{12}H^{10}O^{10}$.

R. Corticis Salicis Helicis quantum libet.

Coque in

  Aquæ sufficienti copia;

per linteum cum expressione cola et adde

  Lactis calcariæ quantum necesse

ut, nova additione, liquidi color non amplius imminuatur. Liquori tum denuo colato infunde sensim, et donec reactio alcalina evanuerit

Sulphatem ferrosum solutum.

Denique iterum cola, liquoremque ad consistentiam syrupi evaporatum, agita cum

Alcoholis 26° (86° C.) duplici pondere.

Sedimento ope filtri separato et alcohole destillatione recuperato, residuum destillationis loco frigido seponatur ut crystalli fiant, lege artis repurgandæ.

Crystalli aciculares seu lamellares, albæ, saporis amari; aëre non mutantur; calore 120° liquantur; septemdecim partibus aquæ 20° et duabus bullientis solvuntur. Sint æthere insolubiles, liquoribus alcalinis et alcohole solubiles; acido sulphurico rubescant; igne absque residuo avolent. Aqua solutæ, nec tinctura Gallarum, nec salibus metallicis sedimentum præbeant. Cave ne sint sulphate calcis adulteratæ.

Populina, si adest, aqua frigida facile separatur; hujus enim solutio 2000 partes aquæ requirit. Populina dignoscitur ex sapore dulci sapori radicis Liquiritiæ simili.

SANTONINA.

Santoninum. Cininum.

C^5H^3O.

R.	Seminis Santonici grossiuscule contusi .	part.	4
	Calcis recens extinctæ	»	1
	Spiritus vini rectificatissimi	»	20

Mixta digere in balneo aquæ apparatus destillatorii donec vicesima fere pars alcoholis destillatione abierit. Massæ refrigeratæ alcoholem destillatum adde, dein fortiter exprime. Residuum bis eidem operationi cum nova alcoholis copia submitte. Liquores expressos filtra, spiritum destillatione evoca, residuum frigefactum cola, ad dimidium volumen in capsula porcellanea evaporatione redige et liquori calido adde acidum aceticum donec paululum excedat; tum coque paulisper miscelamque refrigerandam per aliquot dies ad crystallisandum sepone. Crystallos micaceas aqua et aliquantulum alcoholis ablutas in octupla fere spiritus vini rectificatissimi copia calide digere et solve; carbone animali colorem, quantum poteris, aufer, calidamque solutionem in capsula porcellanea tepida filtratam sepone ut crystalli fiant. Liquorem crystallis supernatantem novæ evaporationi submitte ut crystallos iterum deponat, quæ, si opus est, nova solutione in spiritu vini, decoloratione ope carbonis animalis et crystallisatione repurgentur. Crystallos siccatas serva in loco obscuro, vase clauso.

Crystalli decolores, luce flavescentes, insipidæ, inodoræ. Solutio spirituosa saporem habet amarum. Aqua frigida non solvitur santoninum, fervida parum, spiritu vini et æthere facile. Acido sulphurico concentrato frigido solvitur et, addita aqua, sine alteratione præcipitatur. Crystalli incensæ flamma cærulea, non viridi, flagrent.

SAPO JALAPPINUS.

R. Resinæ Jalappæ. . . . . part. 4
Saponis medicati . . . . » 4
Alcoholis 28° (89° C.) . . . . » 8 s. Q. S.

In balneo maris sub continua agitatione ad massam pilularem evapora ut sint partes novem.

Sit massa fusco-cinerea in alcohole et in alcalibus solubilis.

SAPO MEDICATUS.

R. Sodæ causticæ solutæ pond. spec. 1,33 (36°) . . . part. 1
Olei Olivarum . . . . » 2

Oleo in capsula porcellanea immisso adde lixivium natricum et, vase tecto, sepone per duodecim horas, interdum agitando. His factis, massam balneo vaporis fove donec homogenea sit ac spiscessere incipiat, et per aliquot dies loco calido sepone; saponem obtentum pari aquæ parte calore 100° solve, et solutioni fervidæ immitte sensim, continue versando, chlorureti sodii soluti quantitatem sufficientem ut sapo dejiciatur. Miscelam sepone, post refrigerationem liquidum salinum rejice, saponemque aqua destillata celeriter ablutum inter linteum sensim ac sub finem fortiter prelo exprime. Sapo loco calido exsiccatus servari potest sub hoc titulo : *Sapo medicatus siccus;* ast, pro usu pharmaceutico liquandus est balneo vaporis cum aquæ pari pondere; dein refrigeratus, inter linteum gradatim ope preli exprimendus usquedum viginti centesimas tantum aquæ partes ponderis sui contineat.

Sit albus, durus, odoris debilis, neutiquam rancidi, in aqua et in alcohole 20° (75° C.), plane solubilis. Ne sit alcalinus, nec corporibus heterogeneis inquinatus; desiccatione non nisi viginti centesimas partes ponderis sui amittat.

Paretur eadem methodo :

SAPO ANIMALIS ex medulla Bovina.

SAPO MEDICATUS AMYGDALINUS.

Paretur uti præcedens, sed oleum Amygdalarum dulcium recens oleo Olivarum substituatur.

SERUM LACTIS.

R. Lactis Vaccini. . . . . part. 1500
Acidi tartrici . . . . » 3
Carbonatis calcis . . . . » 1,5 s. Q. S.
Aquæ. . . . . » 25
Albuminis ovi, quantum satis.

Lacti ferventi affunde acidum aqua solutum. Post coagulationem, adde sero colato albumen; mixta iterum coque, per pannum cola, carbonatem calcis adjice, serumque refrigeratum per chartam bibulam filtra.

SERUM LACTIS ALUMINATUM.

R. Lactis Vaccini. . . . . part. 1500
Aluminis . . . . » 6

Lac igni admove, et, sub initio ebullitionis, alumen adde; coagulatione peracta, admisce albumen ovi sero colato; dein ferveat iterum liquor, ac post levem ebullitionem colaturam refrigeratam filtra.

SINAPISMUS SIMPLEX.

R. Seminis Sinapis nigri crasse pulverati, quantum necesse,
Aquæ tepidæ quantum satis

ut fiat pulticula seu cataplasma. Paretur ex tempore.

SODA CAUSTICA SOLUTA.

HYDRAS NATRICUS SOLUTUS.

Liquor natri caustici. Soda liquida. Lixivium causticum minerale seu natricum.

$NaO + Aq.$

Paratur eadem ratione qua potassa caustica soluta, sed loco carbonatis potassæ duplum pondus carbonatis sodæ crystallisati sumendum, aquæ et calcis ponderibus non mutatis.

Sit liquor limpidus, coloris expers vel flavescens, ponderis specifici 1,33-1,34. Eodem modo quo potassa liquida exploretur.

SPARADRAPUM COMMUNE.

R. Emplastri Lithargyri . . . . part. 880
Terebinthinæ Venetæ . . . . » 120
1000

Liquefiant simul balneo aquæ et supra telas extendantur.

SPARADRAPUM LAPIDIS CALAMINARIS.

Sparadrap Vogelii.

R.	Oxydi Zinci nativi præparati	part.	100
	Cerussæ	»	150
	Ceræ flavæ	»	200
	Medullæ Bovinæ	»	150
	Sevi Bovini.	»	300
	Olei Olivarum	»	100
			1000

Pinguedinibus et cera balneo aquæ liquatis adde pulveres cum oleo Olivarum tritos, ac linteum in massam immerge ut illiniatur.

SPECIES AMARÆ.

Thea amara.

R. Herbæ Cardui benedicti,
— Chamædryos,
— Absinthii,
— Centaurii minoris, singularum partes æquales.

Seorsim concisas misce. Servantur, uti cæteræ Species, in vasis clausis.

SPECIES AROMATICÆ.

R. Herbæ Hyssopi,
— Melissæ,
— Menthæ crispæ,
— Origani,
— Rorismarini,
— Salviæ,
— Serpylli,
Florum Chamomillæ romanæ,
— Lavandulæ, singulorum partes æquales.

Minutim concisa misce.

SPECIES ADSTRINGENTES.

R. Corticis Granatorum,
— Quercus,
Radicis Bistortæ,
— Tormentillæ, singulorum partes æquales.

Concisa et contusa misceantur.

SPECIES DIURETICÆ.

R.	Baccarum Juniperi	part.	600
	Seminum Fœniculi.	»	200
	Radicis Liquiritiæ concisæ	»	200
			1000

SPECIES EMOLLIENTES AD CATAPLASMA.

R. Foliorum Althææ,
— Malvæ,
— Verbasci,
Florum Meliloti,
Radicis Althææ contusæ, singulorum partes æquales.

Concisa misceantur.

SPECIES FLORUM PECTORALIUM.

R. Florum Althææ,
— Malvæ,
— Gnaphalii,
— Verbasci, partes æquales.

SPECIES PECTORALES.

R.	Florum Althææ.	part.	100
	— Malvæ	»	100
	— Gnaphalii.	»	100
	— Verbasci	»	100
	— Papaveris Rhœados	»	50
	Foliorum Althææ concisorum	»	550
			1000

SPECIES SUDORIFICÆ.

Species ad decoctum lignorum.

R.	Rasuræ ligni Guajaci	part.	400
	Radicis Sarsaparillæ.	»	200
	— Squinæ.	»	200
	— Liquiritiæ.	»	100
	— Sassafras	»	100
			1000

Concisa misceantur.

SPONGIA CERATA.

R. Spongiæ officinalis lotæ quantum velis.

Exsiccatam immerge ceræ flavæ liquatæ, et ope preli fortiter exprime. Quum refrixerit, ademta cera marginibus adhærente, servetur loco sicco.

SPONGIA COMPRESSA.

Spongiam aqua fervida madentem funiculis circumductis fortiter constringe, gyris funiculi ita contiguis, ut nullus intersit spongiæ exitus. Constricta servetur.

STANNUM PULVERATUM.

R. Stanni puri de Malacca aut de Banca, quantum velis.

Metallum fusum, in pyxide lignea, creta intus obducta et operculo munita, celeriter concute ut sic redigatur in pulverem cribro sericeo succernendum. Servetur in vase clauso.

In acido chlorhydrico, calore leni, solvatur absque evolutione gas hydrogenii arsenicalis; ne solutioni immersa lamina stannea pulvere nigro (antimonii indicium) obducatur. Aqua regali haud excedente solutum, sulphate sodæ non præcipitetur, et cum ferrocyanureto kalico nonnisi sedimentum album edat. Vide STANNUM.

STRYCHNINA.

Strychnium s. *Strychninum*.



$C^{42}H^{22}N^{2}O^{4}=\overset{+}{St}$.

R. Pulveris Nucum vomicarum . . . . part. 8
Aquæ, trecentesima acidi sulphurici parte acidulatæ, Q. S.

Ter quaterve digere et coque. Decoctis inde paratis et ad syrupi tenuioris consistentiam evaporatis admisce

Calcis aqua diluendæ . . . . part. 1 s. Q. S.

ut leviter prævaleat; miscela, leni calore, per semihoram digeratur. Sedimentum tunc filtrando separatum et aqua frigida edulcoratum siccetur ac, retortæ vitreæ immissum, calore circiter 78°, maceretur cum

Alcoholis 26° (86° C.) sufficienti quantitate.

Post aliquot horas, alcohole filtrato, residuum denuo cum alcohole ebullienti digere et digestiones bis terve repete donec alcohol nihil amplius extrahat. Tincturas alcoholicas destillatione evapora et ad octavam partem reductas sepone ad crystallisandum.

Strychnina in crystallos abit, dum brucina cum quadam strychninæ

copia in lixivio remanet. Crystalli, solutione in alcohole fervido et repetita crystallisatione, sat puræ pro usu medico obtinentur.

Quum lixivium acido nitrico maxime diluto saturatur, et ad crystallisandum seponitur, nitras strychninæ primo et postea tantum nitras brucinæ deponitur. Ex utroque sale, ope carbonis animalis decolorato et aqua soluto, utraque basis seorsim præcipitatur affuso liquore ammoniæ causticæ.

Crystalli prismaticæ seu pulvis albus, inodorus, saporis intense amari, in aqua frigida et in alcohole absoluto fere insolubilis; plane solvitur in alcohole 0,845 densitatis, in æthere nequaquam. E guttula chromatis kalici in acido sulphurico concentrato soluti colorem violaceum pulcherrimum induat. Addito acido nitrico, colore rubro non tingatur nisi brucina inquinetur, quod sæpissime accidit. Strychnina liquore bicarbonatis sodici et tinctura gallarum recenti, imo quum acidum tartricum adest, quod præcipitationem brucinæ impedit, dejiciatur. In aqua acidulata quum solvitur, planum polarisationis lucis sinistrorsum deflectit.

SUCCINAS AMMONIÆ EMPYREUMATICUS LIQUIDUS.

SUCCINAS AMMONICUS PYRO-ANIMALIS LIQUIDUS.

Liquor ammonii succinici. Spiritus s. *liquor cornu Cervi succinatus.*

R. Acidi succinici medicinalis. . . . . part. 1
Aquæ destillatæ . . . . » 8
Carbonatis ammoniæ pyro-oleosi quantum sufficit.

Acido aqua soluto et leviter calefacto adde carbonatem ammonicum ad perfectam neutralisationem. Liquidum refrigeratum filtra et serva in vitro bene clauso.

Sit incolor aut flavescens, igne plane volatilis, densitatis 1,06. Nitrate argenti, chlorureto baryi aut acido sulpho-hydrico non turbetur et, affuso acido sulphurico concentrato, odorem aceti non spargat. Reactiones exhibet acidi succinici et ammoniæ.

SUCCUS ACONITI.

R. Foliorum Aconiti Napelli recentis quantum velis.

In mortario lapideo contunde et pultem ope preli fortiter exprime. Succum dein balneo aquæ calefac ut fæces albuminosæ coagulatione separentur; tum per linteum trajice aut filtra. Paretur ex tempore.

Eodem modo obtinentur :

SUCCI EX FOLIIS :

Belladonnæ.
Cichorei.
Cicutæ.
Hyoscyami.
Stramonii.
Taraxaci.

SUCCUS CEREFOLII.

R. Herbæ Cerefolii recentis quantum velis.

Ex herbis contusis succum expressione elicitum per chartam bibulam filtra.

Eodem modo parentur :

SUCCI Cochleariæ et Nasturtii aquatici.

SUCCUS CITRI.

R. Citreorum quantum velis.

Demptis corticibus ac seminibus, exprime succum, quem defæcandum sepone in lagenis per aliquot dies; filtratum methodo Appertiana serva.

SUCCUS CYDONIORUM.

R. Fructuum Cydoniæ submaturorum, quantum libet.

Tomento externo defricato seminibusque exemtis cum Endocarpio, in pultem vertantur; succus exceptus stet in lagenis vitreis per tres aut plures dies, donec fermentatione levi clarificatus fuerit. Tum filtretur et methodo Appertiana servetur.

SUCCUS LIQUIRITIÆ DEPURATUS.

Extractum Liquiritiæ.

R. Succi Liquiritiæ venalis bonæ notæ, quantum velis.

Bacillos Liquiritiæ in frustula concisos disperge supra cribrum setaceum, quod imponas in vas haud profundum, quo continetur aquæ frigidæ quantitas sufficiens ut bacilli aqua plane sed non ultra obtegantur. Sepone per duos dies; solutione peracta, cribrum, partes insolubiles sub forma bacillorum continens, caute removeatur et hydrolatum Liquiritiæ in balneo aquæ ad consistentiam pilularem evaporetur.

Præparatum a succo Liquiritiæ vix discrepans, saporis tamen suavioris, et in aqua fere penitus solubile. Sit a cupri vestigiis liberum.

SUCCUS RHAMNI CATHARTICI.

R. Baccarum Rhamni cathartici bene maturarum, quantum velis.

Baccas inter manus contere ne simul obterantur semina; massam per aliquot dies sepone temperatura 20°; tum prelo exprime ac succum filtratum serva ad syrupum Rhamni parandum.

Eadem ratione obtinentur :

SUCCI Mororum nigrorum, Myrtillorum, et baccarum Sambuci.

SUCCUS RIBIUM RUBRORUM.

R. Ribium rubrorum . . . . part. 10
Cerasorum acidorum rubrorum. . . . . » 1

Seorsim super cribro setaceo manu contrita et dein mixta exprime prelo per linteum laxioris texturæ. Succum loco frigido sepone per viginti quatuor horas et quum in gelatinam abierit, in pannum laneum madefactum conjice ut exstillet; e massa gelatinosa sponte liquata succus manat limpidissimus, qui adhibeatur ad parandum syrupum Ribium, vel methodo Appertiana servetur.

SUCCUS RUBI IDÆI.

R. Baccarum Rubi idæi leviter maturarum. . part. 5
Cerasorum acidorum rubrorum . . . . . » 1

Paretur et servetur eodem modo quo succus Ribium.

SULPHAS ALUMINÆ ET POTASSÆ EXSICCATUS.

SULPHAS ALUMINICO-KALICUS EXSICCATUS.

Alumen ustum.



$KO,SO^3+Al^2O^3,3SO^3.$

R. Sulphatis aluminico-kalici crystallisati, quantum velis.


In olla fictili non vitreata sat capaci, calori modico sensim aucto subjiciatur donec, aqua expulsa, sal in massam albam, levem et spongiosam abierit. Servetur loco sicco.

Sit albus, spongiosus, levis, recens paratus aqua non solubilis. Aëri aliquamdiu expositus in aqua sine residuo solvatur. Solutio ab acido sulpho-hydrico et a liquore ferro-cyaneti kalici non aut vix coloretur.

SULPHAS CUPRO-AMMONIACALIS.

SULPHAS BIAMMONICO-CUPRICUS.

Cuprum sulphurico-ammoniatum. Cuprum ammoniacale.



$CuO,SO^3+2NH^3+HO=NH^4O,SO^3+NH^3,CuO.$

R. Sulphatis cuprici pulverati quantum velis.

In vas vitreum altiorem ac recte claudendum immitte, et sub strenua agitatione adde

Liquorem ammoniæ causticæ

donec sulphas cupricus et præcipitatum ab initio ortum plane soluta sint. Liquori tum

Alcoholis 28° (89° C.) duplex volumen

caute affunde ita ut ambo liquores non misceantur, et vas per plures

dies, in loco frigido et obscuro, ut crystalli concrescant, sepone. Dein, alcohole decanthato, crystalli spiritu vini abluantur, inter chartam bibulam leviter exprimantur et siccentur. In lagenis minoribus recte clausis et denigratis serventur.

Sint crystalli prismaticæ, coloris intense cærulei, in aqua maxime solubiles, in alcohole concentrato non solubiles. Chartam exploratoriam flavam colore fusco tingant. Igne facile, aëre vero lente decomponuntur. Cum acidis non effervescant, nec maculis viridibus sint inquinatæ.

SULPHAS CUPRI ALUMINATUS.

Cuprum aluminatum. Lapis divinus.

R. Sulphatis cupri puri,
Nitratis potassæ depurati,
Sulphatis aluminis et potassæ, singulorum part. 16

Contusa et mixta liquentur, igne non fortiori, in vase cupreo aut figulino vitreato. Liquatis et ab igne remotis admisce


Camphoræ tritæ . . . . part. 1

Massam refrigeratam ex albo-subviridem, in frustula diffractam, caute serva.

SULPHAS FERRI CRYSTALLISATUS.

SULPHAS FERROSUS CUM AQUA.

Ferrum sulphuricum oxydulatum. Vitriolum martis s. *viride. Sal martis.*



R. Ferri limati quantum velis;

immitte per vices in

Acidi sulphurici diluti talem copiam

ut pars ultima ferri non soluta remaneat. Reactione cessante, liquor ebulliat ac per filtrum acido sulphurico diluto madidum fluat in lagenam, cujus latera guttulis aliquot ejusdem acidi asperseris. Liquorem filtratum agita et, vase obtecto, ad crystallisandum sepone. Crystallos collectas alcohole ablue et celeriter, donec anguli leviter efflorescant, siccatas, laguneulis obturatis serva.

Crystallos exhibet prismaticas, virides, saporis styptici, aëris accessu efflorescentes ac in pulverem flavescentem peroxydatione ferri dilabentes. In aquæ partibus duabus solubilis, in alcohole insolubilis. Sit a cupro et zinco plane liber (*Vide* FERRUM PULVERATUM). Ut sulphas aluminicus, quandoque immixtus, detegatur, solutio aquosa acido nitrico acidulata ebulliat, e qua deinceps oxydum ferricum, addita potassa caustica excedente, præcipitetur; liquido tum filtrato et ope acidi chlorhydrici neutralisato infundatur ammonia liquida, qua oxydum aluminicum dejicitur.

SULPHAS FERRI SICCUS.

SULPHAS FERROSUS EXSICCATUS.

Ferrum sulphuricum siccum. Vitriolum ad albedinem calcinatum.



R. Sulphatis ferrosi crystallisati quantum vis.

Supra catinum porcellaneum in caldario celeriter sicca, donec massa in pulverem album et siccissimum redigatur. Serva in vase probe clauso.

SUB-SULPHAS HYDRARGYRI.

SUB-SULPHAS HYDRARGYRICUS.

Sulphas hydrargyri flavus. Turpethum minerale.



R. Hydrargyri	part.	2
Acidi sulphurici 66° C.	»	3

Calefac donec in sulphatem hydrargyricum plane siccum mutata sint; huic in pulverem tenuem redacto et in vas porcellaneum aut in cymbium fictile immisso affunde, cum spathula vitrea agitando,

Aquæ bullientis quantum satis

ut massa salina albicans plane vertatur in pulverem luteum, quem rite ablutum et siccatum, in vitro denigrato serves.

Pulvis luteus, in aqua parum solubilis. Calore rubescit.

SULPHAS MORPHINÆ.

SULPHAS MORPHICUS.

Sulphas morphini seu morphii. Morphium sulphuricum.



R. Morphinæ pulveratæ	part.	1
Aquæ destillatæ	»	3

Misce, ac in capsula vitrea balneo aquæ imposita, affunde paulatim

Acidum sulphuricum dilutum

donec morphina plane soluta sit, cavens ne acidum excedat. Liquorem filtra et evapora ut fiant crystalli, primo leviter, dein fortiter exprimendæ lenissimoque calore siccandæ. Cautissime serva.

Crystalli prismaticæ, tenues, albæ, saporis amari, aqua et alcohole facile solubiles; in aëre perstant. Reactiones referant morphinæ et acidi sulphurici.

SULPHAS POTASSÆ DEPURATUS.

SULPHAS KALICUS.

Kali sulphuricum. Tartarus vitriolatus. Arcanum duplicatum. Sal polychrestus.



KO,SO^3.

R. Sulphatis potassæ venalis quantum velis.

Solve in aquæ ferventis sufficienti copia, solutionem filtratam evapora et in crystallos redige.


Bisulphas kalicus e præparatione acidi nitrici residuus adhiberi quoque potest; ideo solvatur in aqua fervida, et solutio carbonate kalico saturetur ut evaporatione debita in crystallos abeat.

Sit albus et in crystallis pellucidis, plerumque hexagonalibus prismaticis, in breves pyramides desinentibus. Aëre non mutetur; solvatur in decem partibus aquæ frigidæ, et quatuor aquæ ferventis. Reactiones sulphatum et salium potassicorum præbeat. Solutio aquosa a sulpho-hydrate ammonico, ferro-cyaneto kalico, carbonate kalico et sulphate argentico soluto, nec coloretur, nec præcipitetur.

SULPHAS QUININÆ.

SULPHAS CHINICUS.

Sulphas chinini. Chinium s. *Chininum sulphuricum.*



$$C^{38}H^{24}N^2O^4,HO,SO^3+7HO=\overset{+}{Q},HO,SO^3+7HO.$$

R. Corticis Peruviani regii pulverati . . .	part.	30
Acidi chlorhydrici.	»	3
Aquæ communis.	»	300

Per semihoram simul cocta colentur et exprimantur. Residuum corticis in linteo remanens simili modo bis terve ebulliat cum

Aquæ, centesima parte acidi chlorhydrici acidulatæ, . . part. 200

Liquoribus collectis sensim admisceatur, donec oriatur reactio alcalina, lac calcis constans ex

Calcis recens extinctæ . . . . part. 30
Aquæ communis quintuplo vel sextuplo.

Miscela per diem ad subsidendum seponatur et dein filtretur. Quod in filtro remanet, aqua destillata frigida seu potius aqua calcis leviter ablutum, leni calore siccetur et, subtiliter tritum cum

Alcoholis 26° (85° C.) sufficienti copia,

calore primum moderato, deinceps ad ebullitionem aucto, per horas duas et sæpissime versando, pluries digeratur donec amaritie exemptum sit.

Tincturis commixtis ac filtratis addatur

Acidi sulphurici diluti quantum necesse

ut non aut vix excedat, et liquor, majori parte alcoholis destillatione recuperata, ad crystallisandum seponatur. Crystalli, tantillo aquæ frigidæ lotæ, solvantur in aqua destillata ferventi, cui addatur

Carbonis animalis depurati parva quantitas.

Liquor, aliquantisper coctus, fervide filtretur ut refrigeratione in massam albam crystallinam coeat. Partem in filtro remanentem, cum lixivio massæ crystallinæ commixtam, iterum in aqua decoque et in crystallos redige, quas, quamdiu albæ concrescunt, colliges. Crystalli, calore lenissimo siccatæ, vase clauso serventur.

Crystalli albissimæ, sericei nitoris, aciculares, subflexibiles, peramaræ, aëre fatiscentes; quindecim centesimas aquæ partes continent, quarum duodecim, calore 100°-105°, fatiscendo amittunt. In partibus 30 aquæ bullientis et 750 frigidæ solvuntur. Sint in aqua acido sulphurico leviter acidulata, facile et omnino solubiles. Solvantur quoque in partibus 60 alcoholis 13° (59° C.) frigidi, et ægre in æthere; solutio alcoholica flamma cærulea, non viridi, uratur.


Sulphas quininæ cum acido sulphurico in pultem redactus, nullum colorem alienum induat. Æther cum eo conquassatus, relicto residuo vix sensibili, avolet. Cum 6 partibus ætheris, 3 ammoniæ liquidæ et 2 aquæ in laguncula clausa commixtus, sal chinicus liquorem præbeat e duobus constans stratis pellucidis, quorum inferius nil nisi sulphatem ammonicum contineat, quod igitur evaporatione nullam relinquat substantiam igne in carbonem mutandam vel non avolantem. Cinchonina, quum adest, inter duo strata insolubilis hæret. Quinoïdina, quum decima tantum pars inest, in æthere cum quinina solvitur, sed post aliquod tempus in crystallos abit. Quum majori quantitate inest, inter duo strata, uti cinchonina, reperitur, ast addita ætheris prævalente copia solvitur, dum cinchonina insolubilis remanet.

In sulphate chinico venali quandoque 3 p. c. partes sulphatis cinchonici continentur; quod ultra est, tanquam fraudulenter additum habeas. Sulphatis cinchonici præsentia et copia aptissime sequenti modo reperiuntur : quinque partes sulphatis chinici in 120 partibus alcoholis 13° (59° C.) calidi ac leviter acidulati solve; ammoniam liquidam in excessu instilla et per aliquot minuta secunda decoque. Post viginti quatuor horas, cinchonina demittetur in crystallos, quas filtro collectas et siccatas ponderabis.

SULPHAS SODÆ DEPURATUS.

SULPHAS NATRICUS CUM AQUA.

Natrum sulphuricum. Sal mirabilis Glauberi.



NaO,SO^3+10HO.

R. Sulphatis sodæ venalis quantum satis.

In aqua ferventi solve et perge uti de sulphate kalico dictum est.


E residuo præparationis acidi chlorhydrici elici quoque potest. Ad hunc finem, solvatur residuum aqua bullienti, solutionique addatur carbonatis sodici copia sufficiens ut leviter excedat. Liquor filtretur et lege artis in crystallos redigatur, cito siccandas. Serventur vase clauso.

Sint crystalli albæ, prismaticæ, inodoræ, aëris attactu fatiscentes, leni calore in aqua crystallisationis solvendæ, magis calore 33° quam 100° solubiles, alcoholc insolubiles. Solutio, nec potassa caustica, nec sulpho-hydrate ammonico, nec acido tartrico præcipitetur. Sit a sulphate manganoso liber.

SULPHAS STRYCHNINÆ.

SULPHAS STRYCHNICUS.

Sulphas strychnini s. *strychnii. Strychnium sulphuricum.*



$C^{42}H^{22}N^2O^4,HO,SO^3=\overset{+}{St},HO,SO^3$.

R. Strychninæ puræ. . . . . part. 1

In vase porcellaneo, cum

Aquæ destillatæ ferventis . . . . » 5

bene trita sensim solvatur, addita

Acidi sulphurici diluti copia sufficienti


ad perfectam saturationem. Solutio calida filtretur et lege artis in crystallos concrescat.

Sint crystalli cubicæ aut prismaticæ rectangulares, decolores, pellucidæ, aëre opalescentes, in decem circiter aquæ partibus, solita temperatura, solubiles. Reactiones salium strychninæ et sulphatum præbeant.

SULPHAS ZINCI.

SULPHAS ZINCICUS CUM AQUA.

Zincum sulphuricum. Vitriolum album.



ZnO,SO^3+7HO.

R. Zinci purioris in frustula diffracti quantum velis,
Acidi sulphurici diluti quantum satis.

Metallum paulatim in acido solve usque dum solutio neutra sit. Liquorem

a zinco insoluto decanthatione separatum per aliquot dies aëri expone ut ferri oxydatio adjuvetur; tum cum oxydi zincici tantillo coque, ut ferrum peroxydatum præcipitetur. Solutio dein filtrata evaporatione in crystallos redigatur.

Crystalli prismaticæ, decolores, pellucidæ, saporis metallici styptici, in aqua maxime solubiles, in alcohole fere insolubiles. In aëre sicco sensim fatiscunt. Sit solutio aquosa incolor; præbeat cum liquore ferro-cyanureti kalici sedimentum album, et cum ammonia liquida præcipitatum itidem album, quod in aëre colorem non mutet et excessu ammoniæ admixtæ penitus evanescat. Additis acidi chlorhydrici diluti aliquot guttulis et, affuso dein acido sulpho-hydrico, præcipitatum nec flavum, nec fuscum, nec nigrum demittat.

SULPHO-HYDRAS SULPHURETI SODICI.

SULPHOHYDRAS NATRICUS.

Natrum sulphohydricum. Hydrosulphuretum natri.



$NaS,HS+Aq.$

R. Sodæ causticæ quantum velis.

Solve in aquæ destillatæ copia sufficienti ut liquor sit ponderis specifici 1,110. Liquidum defunde in lagenam semireplendam; tum gas acidum sulphohydricum per tubum recurvum lege artis in lixivium causticum immitte quamdiu absorbetur; quod si fieri cessaverit, lagenam in loco frigido sepone ut crystalli sensim concrescant quas, ubi in infundibulo tecto extillaverint, servabis vase probe clauso.

Crystalli decolores; aqua solutæ ac cum sulphure sublimato calefactæ, gas hydrosulphuratum emittunt et in polysulphuretum sodii abeunt.

SULPHUR AURATUM ANTIMONII.

SULPHIDUM STIBICUM.

Acidum sulphostibicum. Antimonium sulphuratum aurantiacum. Hydrosulphuretum antimonii sulphuratum. Deuto-sulphuretum antimonii. Sulphuretum stibii hydrogenatum.



$SbS^5.$

R.	Sulphureti stibii nigri	part.	2
	Sulphuris depurati	»	5
	Potassæ causticæ solutæ	»	32
	Aquæ	»	32

Lixivio, aqua diluto ac in vase ferreo ad ebullitionem adducto, injice sulphur et sulphuretum stibii, antea probe pulverata et commixta; coque

sæpe versando ad plenariam solutionem, aquam evaporatione absumptam continue supplendo. Liquorem refrigeratum filtra et instilla gradatim

Acidum sulphuricum dilutum

quamdiu præcipitatum oritur. Sedimentum per chartam separatum, cum ammonia, octuplo aquæ diluta, macera per aliquot horas, dein aqua communi, repetitis vicibus, ablue lenique calore sicca.

Pulvis tenuissimus, coloris læte aurantiaci, odore ac sapore carens, aqua non solubilis. In tubo vitreo calefactus sulphur sublimatum edit et sulphuretum antimonii nigrum relinquit. Partibus quinquaginta ammoniæ liquidæ, leni calore adhibito, sicut etiam coctus cum potassa liquida, plane solvatur. In acido chlorhydrico, relicta circiter septima parte sulphuris, solvatur. Aqua cum pulvere mixta, dein filtrata et evaporata, nil relinquat. Præsentia arsenici eodem modo exploratur quo in sulphureto antimonii nigro.

SULPHUR DEPURATUM.

Flores sulphuris loti. Sulphur lotum.

R. Sulphuris sublimati venalis, quantum velis.

Cum parva aquæ copia in pultem liquidam æquabiliter conteratur; tum majori aquæ quantitate pluries abluatur donec ab acido plane liberum sit et, ultima vice, cum aqua destillata ferventi. Colligatur dein in linteo expanso, et quum aqua guttatim extillaverit, siccetur ac cribro succretum servetur in vase clauso.

Pulvis subtilis, siccissimus, odoris expers, nequaquam acidus; aqua cum eo cocta liquore nitratis barytici non turbetur. Cave ne sulphureto arsenico sit inquinatus.

Nota. Sulphur depuratum semper dispensetur nisi venale a Medico expressis verbis postuletur.

SULPHUR PRÆCIPITATUM.

Lac sulphuris. Magisterium sulphuris.

R. Solutionis potassæ causticæ . . . . part. 3

In vase vitreo calefac ad gradum circiter centesimum. Adde paulatim

Sulphuris depurati . . . . part. 1

vel quamdiu solvitur. Liquido tum partibus tribus aquæ calidæ diluto ac filtrato, sub camini spiraculo, caute instilla

Acidi chlorhydrici diluti

tantum ut leviter excedat. Quo facto, miscelam pari pondere aquæ ferven-

tis dilutam sepone; dein sedimentum, subsidendo et edulcorando depuratum donec aqua abluens insipida effluat, calore blando sicca et vase clauso serva.

Pulvis tenuissimus, ex albo flavescens, levis, odoris expers, non acidus; in liquore hydratis kalici penitus solvatur. Igne totus evanescat.

SULPHURETUM ANTIMONII NIGRUM DEPURATUM.

SULPHIDUM STIBIOSUM.

Acidum sulphostibiosum. Sulphuretum stibii. Stibium sulphuratum nigrum. Antimonium crudum præparatum.

SbS^3.

R. Sulphureti antimonii venalis bonæ notæ, quantum velis.

In mortario ferreo pulveratum ac cribro succretum, supra porphyritem, affusa parva aquæ copia, lævigetur donec particulæ micantes latuerint. Massa dein cum duplici ammoniæ liquidæ pondere in lagena clausa per biduum digeratur sæpius quassata, ut arsenicum sulphuratum, quo fere semper inquinata est, solvatur; tum aqua abluatur, loco calido siccetur vitroque clauso servetur.

Pulvis tenuissimus, coloris grisei, ope tubuli ferruminatorii in carbone candenti exploratus facile liquescens, primo flammam cæruleam cum odore acidi sulphurosi, dein vapores albos, haud alliaceos, emittens. Acido chlorhydrico caloris ope solutus, nullum arsenici sulphurati residuum relinquat. De quo, ut certior fias, residuum solutione acidi tartrici ablutum, cum carbonate natrico, in tubo vitreo ad rubedinem calefac ut arsenicum sublimetur.

Nota. Si Medicus stibium sulphuratum nigrum præscribit pro usu interno, Pharmacopola semper depuratum dispenset.

SULPHURETUM CALCII.

SULPHURETUM CALCICUM.

Calcium sulphuratum. Calcaria sulphurata. Hepar sulphuris calcareum.

CaS.

R.	Sulphatis calcis venalis usti	part.	4
	Carbonis lignei	»	1

Seorsim pulverata ac intime mixta in crucibulo fortiter comprimantur,

dein, operculo imposito, incandescant igne fortiori, donec in pulverem album conversa sint. Massa adhuc tepida in lagenis minoribus probe claudendis servanda.

Pulvis ex albo cinereus vel flavescens, in aquæ quingentis partibus solubilis, aëre humido acidum sulpho-hydricum redolens. Cum acido chlorhydrico diluto gas sulphohydricum copiose emittat, maximaque ex parte solvatur; hæc solutio oxalate ammoniæ vel potassæ abunde præcipitetur.

SULPHURETUM CALCII LIQUIDUM.

POLYSULPHURETUM CALCICUM SOLUTUM CUM HYPOSULPHITE CALCICO.

Liquor polysulphureti calcii. Liquor calcariæ sulphuratæ.

R.	Calcis ustæ in massis.	part.	100
	Florum sulphuris.	»	250
	Aquæ.	»	1000

Calci ustæ sartagini fictili ingestæ affunde aquæ calidæ partes 50, et sartaginem operculatam sepone donec calx, perfecte extincta, in pulverem tenuissimum dilapsa sit. Tum adde flores sulphuris et aquam; miscelam coque per horam, aquam evaporatione absumptam restituendo; operculo imposito, seponatur sartago per noctem et, crastina die, liquor limpidus innatans, ope siphonis vitrei, in lagenas aptas transducatur. Residuum rursus cum aquæ ferventis pari circiter pondere misceatur et filtretur. Liquorem filtratum liquori decanthato adde miscelamque, si opus est, aqua dilue ut 15° Areometro indicet. Serva in lagunculis probe clausis.

Sit limpidum, coloris rutili, pond. spec. 1,116. Aëri expositum decomponitur.

SULPHURETUM FERRI.

SULPHURETUM FERROSUM.

Ferrum sulphuratum.

FeS.

R.	Ferri pulverati.	part.	3
	Sulphuris sublimati.	»	2

Exacte mixta in crucibulo Hassiaco operculato citissime rubescant, et ignis protrahatur donec vapores sulphurosi emergere cessaverint massaque liquata fuerit. Crucibulum sepone ut refrigescat et sulphuretum serva in vase clauso.

Sit coloris e nigro lutei, et in acido chlorhydrico diluto, gas hydrosulphuricum copiose emittendo, solubile.

SULPHURETUM HYDRARGYRI ET ANTIMONII.

SULPHURETUM HYDRARGYRO-STIBIATUM.

Hydrargyrum sulphurato-stibiatum. Æthiops antimonialis.

R. Sulphureti stibii depurati.	part.	333
Hydrargyri.	»	444
Sulphuris loti	»	223
		1000

Mixta probe terantur in mortario lapideo lato, donec globuli hydrargyrici plane delituerint.

Sit pulvis niger, aspectus velutini, odoris et saporis expers.

SULPHURETUM HYDRARGYRI NIGRUM.

SULPHURETUM HYDRARGYRICUM NIGRUM.

Hydrargyrum sulphuratum. Æthiops mineralis. Æthiops mercurialis.

R. Hydrargyri,
Sulphuris sublimati et loti, partes æquales.

Mixta et cum aliquot aquæ guttulis humectata in mortario lapideo tepefacto strenue et parva quantitate terantur, donec globuli hydrargyri nitentes non amplius conspiciantur.

Pulverem exhibet tenuissimum, nigrum. Aëris attactu non mutetur, et accensus flamma sulphuris nota plane flagret. Globuli hydrargyri in præparato male confecto, tum lente vitrea, tum acido nitrico diluto quo solvuntur, detegi possunt.

SULPHURETUM POTASSII OFFICINALE.

TRI-SULPHURETUM KALICUM CUM SULPHATE KALICO.

Kalium sulphuratum. Polysulphuretum potassicum. Hepar sulphuris.



$3KS^3 + KO,SO^3$.

R. Sulphuris depurati	part.	4
Carbonatis potassæ puri et sicci	»	7

Exacte commixta immitte in crucibulum Hassiacum operculo obtegendum et semireplendum, quod blando igni admove ut sensim calefiat et acidum carbonicum erumpere incipiat; ignem æquabilem fove ne massa nimis exultet, usque dum, igne sub finem ad calorem obscure rubrum aucto, tranquille fluat. Residuum in lamina ferrea effusum vel in crucibulo probe operculato refrigeratum serva in vase sicco apte clauso.

Massa amorpha, coloris fusci, duplici aquæ pondere solubilis; aëre, præsertim humido, decomponitur. Solutio aquosa, acidis instillatis, præcipitatum sulphuris album exhibeat, gas sulpho-hydricum emittendo.

SULPHURETUM SODII OFFICINALE.

TRI-SULPHURETUM NATRICUM OFFICINALE.

Natrum sulphuratum. Hepar sulphuris natricum.

R.	Carbonatis sodæ probe siccati	part.	27
	Sulphuris depurati	»	20

In crucibulo Hassiaco probe tecto liquentur, sicuti de sulphureto potassii expositum est.

SYRUPUS ABSINTHII.

R.	Herbæ Absinthii.	part.	25
	Sacchari.	»	654
	Aquæ distillatæ quantum satis.		

Herbas concisas cum triplo aquæ frigidæ per horam macera; tum calefac ad 90° vase clauso; pultem semirefrigeratam in apparatum depulsorium immitte et cum aqua calida solubile quidquid extrahe, vel donec partes circiter quadringentas infusi obtineas. Liquori, si opus est, filtrato, adde saccharum et liqua balneo vaporis ut supersint syrupi frigidi partes 1000. Cola per pannum vel filtra si necesse.

Eodem modo parentur:

SYRUPI FOLIORUM s. HERBARUM

Artemisiæ;
Borraginis;
Centaurii minoris;
Croci;
Erysimi;
Fumariæ;
Hederæ terrestris;
Juglandis;
Marrubii;
Scordii;
Trifolii;
Violæ tricoloris.

SYRUPUS ACETATIS MORPHINÆ.

R.	Acetatis morphinæ.	part.	0,5
	Acidi acetici concentrati.	»	0,5
	Aquæ destillatæ.	»	15
	Syrupi simplicis.	»	1000

Acetati morphinæ in acido et aqua soluto adde syrupum simplicem calefactum ut sint syrupi morphinæ refrigerati partes 1000.

Simili modo et eadem dosi, sed absque additione acidi, parentur:

SYRUPI Chlorhydratis et Sulphatis morphinæ.

SYRUPUS ACETICUS COLCHICI.

Syrupus aceti Colchici.

R.	Aceti bulborum Colchici.	part.	347
	Sacchari.	»	653
			1000

Fiat solutio in vase vitreo clauso.

Simili modo parentur :

SYRUPI ACETICI Scillæ et Digitalis.

SYRUPUS ACIDI ACETICI.

Syrupus Aceti.

R.	Acidi acetici diluti.	part.	347
	Sacchari	»	653
			1000

Fiat solutio in vase vitreo clauso.

SYRUPUS ACIDI CITRICI.

R.	Acidi citrici pulverati.	part.	20
	Aquæ fontanæ	»	40
	Syrupi simplicis	»	969
	Alcoholeti Citri.	»	1

Adde solutioni acidi citrici syrupum tepefactum ut sint, cum alcoholeto, syrupi frigidi partes 1000.

Eadem dosi, sed absque alcoholeto Citri, paretur :

SYRUPUS Acidi tartarici.

SYRUPUS ACIDI CYANHYDRICI.

SYRUPUS CYANIDI HYDRICI.

Syrupus acidi prussici.

R.	Acidi cyanhydrici medicinalis.	part.	8
	Syrupi simplicis	»	992
			1000

Misce frigide. Ex tempore paretur.

SYRUPUS ACIDI SULPHURICI.

R.	Acidi sulphurici diluti.	part.	90
	Syrupi simplicis.	»	910
			1000

Misce. Ex tempore paretur.

SYRUPUS ACONITI.

R.	Extracti Aconiti alcoholici	part.	3
	Alcoholis 15° (64° C.)	»	6
	Syrupi simplicis.	»	997

Solve extractum in alcohole et solutioni adde syrupum calefactum ut sint syrupi frigidi partes 1000.

Eodem modo et eadem dosi parentur cum extractis alcoholicis :

SYRUPI Belladonnæ, Hyoscyami et Stramonii.

SYRUPUS ÆTHERIS.

R.	Syrupi simplicis.	part.	985
	Ætheris sulphurici	»	15

In lagenam clausam immissi stent in loco frigido per viginti quatuor horas, subinde fortiter versando. Dein sepone per aliquot dies et clarificatus syrupus, per epistomium parti inferiori lagenæ applicatum, eliciatur.

SYRUPUS ALTHÆÆ.

R.	Radicis Althææ.	part.	32
	Aquæ	»	750
	Sacchari.	»	634

Radices in segmenta tenuia concisas macera cum aqua per horas sex, calore 20° haud superante, et in colatura, non expressa, solve saccharum. Coque dein, interdum despumando, donec syrupus ebulliens 30° Areometro notet. Sint syrupi colati circiter partes 1000.

Simili modo parentur :

SYRUPI Consolidæ et Cynoglossi, sed cum radicum partibus 50.

SYRUPUS AMYGDALARUM.

Syrupus emulsivus.

R.	Amygdalarum dulcium	part.	165
	Amygdalarum amararum	»	45
	Aquæ fontanæ	»	360

Amygdalis decorticatis, in mortario marmoreo pistilli lignei ope contusis, aquam sensim admisce ut fiat emulsio; cola cum expressione. Tum sume :

Emulsionis paratæ	part.	406
Sacchari pulverati	»	580
Aquæ florum Aurantiorum.	»	16

Solve saccharum in emulsione ope balnei vaporis, cola et adde aquam florum Aurantiorum, versando lente donec syrupus refrixerit.

Gradus 33-34° Areometro pharmaceutico denotet.

SYRUPUS ASPARAGI.

R.	Turionum Asparagi recentium.	part.	1
	Sacchari grossiuscule pulverati	»	1

In frustula centimetrum circiter longa teneram Asparagi partem conscinde additoque saccharo in cellam sepone per horas viginti quatuor. Massam dein in aheno usque ad ebullitionem calefactam per cribrum trajice, et colaturam cum albumine ovi coque, spumas eximendo, usquedum syrupus Areometro 31° notet; tum per pannum cola.

Sit syrupus refrigeratus grad. 36°.

SYRUPUS BALSAMI TOLUTANI.

R.	Balsami Tolutani electi.	part.	25
	Sacchari pulverati	»	654
	Alcoholis 28° (89° C.)	»	30
	Aquæ fontanæ.	»	375
	Albumen ovi	N°	1

Balsamo cum octava parte sacchari præscripti trito admisce alcoholem ac dein, sensim et continue terendo, reliquam sacchari partem. Tum massæ albumen ovi cum aqua conquassatum adde et calefac ad ebullitionem. Syrupum refrigeratum filtra.

Eodem modo parentur :

SYRUPI

Balsami Peruviani nigri;
Benzoes;
Cubebarum;
Terebinthinæ Venetæ.

SYRUPUS BALSAMI TOLUTANI EXTEMPORANEUS.

R.	Tincturæ balsami Tolutani.	part.	40
	Syrupi simplicis	»	960
			1000

Agitando misce.

SYRUPUS CAPILLORUM VENERIS.

R.	Herbæ capillorum Veneris	part.	10
	Sacchari	»	655
	Aquæ florum Aurantiorum	»	50

Herba digeratur per duas horas in

Aquæ ferventis.	»	500

Colaturæ adde saccharum et coque cum albumine ovi donec syrupus Areometro notet 31°; syrupo colato et semirefrigerato affunde aquam florum Aurantiorum.

SYRUPUS CARYOPHYLLORUM.

R.	Caryophyllorum	part.	7
	Sacchari	»	654
	Aquæ quantum sufficit.		

Infundantur Caryophylli contusi per horas duas, vase clauso, et in colatura partium 346 solvatur saccharum, ut sint syrupi partes 1000.

SYRUPUS CATECHU.

R.	Extracti Catechu aqua frigida parati .	part.	12
	Syrupi simplicis	»	988

Extractum solve in aquæ sufficienti quantitate, et solutionem syrupo tepefacto adde ut sint syrupi refrigerati partes 1000.

SYRUPUS CICUTÆ.

R.	Tincturæ seminum Conii maculati. .	part.	25
	Syrupi simplicis.	»	975
			1000

Misce frigide.

Eodem modo et eadem dosi paretur :

SYRUPUS seminum Phellandrii aquatici.

SYRUPUS CITRATIS FERRICI.

R.	Citratis ferrici soluti	part.	50
	Syrupi simplicis	»	950
			1000

Misce.

SYRUPUS COCHLEARIÆ.

R.	Succi Cochleariæ filtrati.	part.	346
	Sacchari pulverati.	»	654
			1000

Solve balneo aquæ, calore 60° haud excedente, solutionemque refrigeratam per pannum trajice.

Simili modo parentur :

SYRUPI Beccabungæ et Nasturtii Aquatici.

SYRUPUS COCHLEARIÆ COMPOSITUS.

Syrupus antiscorbuticus.

R.	Succi Nasturtii aquatici clarificati . . .	part.	90
	— Beccabungæ	»	90
	— Aurantiorum.	»	90
	Vini albi.	»	100
	Alcoholati Cinnamomi	»	10
	— Cochleariæ	»	20
	Sacchari pulverati	»	600

Saccharum in succis et vino commixtis, calore blando, solve, solutionique refrigeratæ addantur alcoholeta, ut obtineantur syrupi partes 1000.

SYRUPUS CORTICUM AURANTIORUM.

R.	Corticum Aurantiorum amarorum. . .	part.	60
	Sacchari.	»	650
	Aquæ quantum sufficit.		

Cortices minutim concisos cum aquæ duplo pondere per horas viginti quatuor digere, et methodo lixiviatoria, ope aquæ frigidæ, extrahe liquoris 250 partes. Tum cortices residuos cum aqua communi destilla ut eliciantur aquæ aromaticæ partes 100; dein, liquoribus commixtis, adjice saccharum et, vase clauso lenique calore, fiat syrupus ita ut sint partes 1000.

SYRUPUS CORTICIS PERUVIANI.

R. Corticis Peruviani fusci.	part.	125
Alcoholis 12° (55° C.)	»	500
Aquæ destillatæ	»	500
Sacchari.	»	637

Corticem pulveratum immitte in apparatum depulsorium cum alcoholis dimidio et, post viginti quatuor horas, exhauri cum altera alcoholis parte, dein cum aqua præscripta. Tum residuum prelo exprime, liquoribusque commixtis adjice saccharum; quo facto, ebullitione leni in syrupum redige ut supersint partes 1000.

SYRUPUS CROCI VINOSUS.

R. Croci	part.	25
Vini Malacitani	»	450 s. Q. S.
Sacchari pulverati	»	600

Crocum macera per biduum in sufficienti quantitate vini ut, post expressionem, obtineantur tincturæ partes 400; tum in liquore solve saccharum leni calore. Sint 1000 syrupi partes.

SYRUPUS DIGITALIS.

R. Foliorum Digitalis	part.	10
Sacchari	»	654
Aquæ quantum sufficit.		

Paretur uti syrupus Absinthii. Post refrigerationem sint syrupi partes 1000.

SYRUPUS DULCAMARÆ.

R. Stipitum Dulcamaræ	part.	125
Sacchari	»	637
Aquæ quantum sufficit.		

Paretur uti syrupus Absinthii. Sint syrupi refrigerati partes 1000.

SYRUPUS FLORUM AURANTIORUM.

Syrupus Naphæ.

R. Aquæ destillatæ florum Aurantiorum.	part.	345
Sacchari pulverati.	»	655
		1000

Solve frigide vel leni calore.

Eodem modo parentur :

SYRUPI.

Cinnamomi;
Lauro-cerasi;
Menthæ;
Rosarum.

SYRUPUS FOENICULI COMPOSITUS.

Syrupus quinque radicum.

R. Radicis Apii graveolentis,		
— Asparagi,		
— Fœniculi,		
— Petroselini,		
— Rusci aculeati, singularum . . .	part.	10
Acidi acetici diluti	»	120
Sacchari.	»	650
Aquæ destillatæ Apii graveolentis. . .	»	50

Radices concisas cum aceto destillato et duplo aquæ per octodecim horas macera, tum immitte in apparatum depulsorium et cum aqua extrahe, donec partes circiter quadringentas liquoris obtineas, vel donec omne solubile exhaustum sit. Liquori, si opus est, filtrato, adde saccharum et liquorem balneo vaporis evapora, addendo sub finem aquam Apii, ut sint syrupi partes 1000.

SYRUPUS GENTIANÆ.

R. Radicis Gentianæ	part.	30
Sacchari	»	654

Paretur uti syrupus Absinthii.

Eodem modo oblinentur :

SYRUPI Polygalæ Senegæ et strobilorum Lupuli.

SYRUPUS GUAJACI.

R. Rasuræ ligni Guajaci	part.	250
Sacchari	»	650
Aquæ quantum sufficit.		

Guajacum coque, repetita vice, per semihoram ut quævis colatura sit partium 200; tum colaturis mixtis et ad dimidium evaporatis, post debitam defæcationem, solve saccharum et evapora balneo aquæ, donec supersint syrupi partes 1000.

SYRUPUS GUMMI ARABICI.

R.	Gummi Arabici	part.	125
	Sacchari	»	572
	Aquæ	»	400

Gummi fragmenta, celeriter aqua frigide abluta, solve in aqua præscripta, interdum agitans. Saccharum mucilagini adde ac balneo vaporis evapora ut remaneant syrupi partes 1000. Cola et spumam syrupi paulisper refrigerati detrahe.

Sit incolor. Aqua solutus, tum alcohole, tum subacetate plumbi liquidi præcipitetur. Cum oxalate ammonico præcipitatum non edat, et cum potassa ad ebullitionem usque calefactus haud nigrescat.

SYRUPUS GUMMI TRAGACANTHÆ.

R.	Gummi tragacanthæ pulverati.	part.	4
	Sacchari.	»	14
	Syrupi simplicis	»	975
	Aquæ	»	200

Pulveribus in mortario cum pauxillo syrupi mixtis adde, celeriter miscendo, aquam et alteram syrupi partem. Tunc syrupum coque ut supersint partes 1000. Paretur ex tempore.

SYRUPUS IODURETI AMYLI.

R.	Amyli Tritici.	part.	22
	Iodii	»	2,5
	Sacchari	»	650
	Aquæ	»	325

Iodium in ætheris sulphurici quantitate sufficienti solutum sensim amylo admisce probe terendo. Quum ætheris maxima pars avolaverit, amylum iodatum immitte cum aqua præscripta in lagenam probe claudendam, et balneo aquæ calefac. Post unam vel duas horas, iodureto formato, saccharum adjice ad perficiendas syrupi partes 1000.

SYRUPUS IODURETI FERRI.

R.	Iodii	part.	2,47
	Limaturæ ferri.	»	2
	Aquæ	»	20

Misce in lagena clausa, interdum versando, donec liquor decoloretur aut virescat. Tunc celeriter filtra in patinam porcellaneam quæ continet syrupi simplicis fervidi partes 997, ut sint syrupi frigidi partes 1000.

Serva in lagunculis plenis probe clausis.

Partes syrupi 1000 continent 3 partes iodureti ferrosi.

SYRUPUS LACTATIS FERROSI.

R.	Lactatis ferrosi	part.	15
	Aquæ destillatæ	»	341
	Sacchari	»	644
			1000

Solve leni calore, et serva vase clauso.

Eadem dosi paretur :

SYRUPUS Sulphatis ferrosi.

SYRUPUS IPECACUANHÆ.

R.	Tincturæ Ipecacuanhæ	part.	35
	Syrupi simplicis	»	1000

Misce et calefac ad ebullitionem, ut remaneant partes 1000.

Syrupi 1000 partes continent 7 partes materiæ solubilis Ipecacuanhæ.

SYRUPUS LICHENIS ISLANDICI.

R.	Lichenis Islandici	part.	25
	Syrupi simplicis	»	1000
	Aquæ quantum sufficit.		

Lichenem cum viginti partibus aquæ communis ad ebullitionem usque celeriter calefac, dein, aqua rejecta, ablue donec ab amaritie liberatus sit. Residuum cum eadem quantitate aquæ per semihoram coque, tum cola cum leni expressione, et huic decocto syrupum adde evaporaque ut remaneant syrupi partes 1000.

SYRUPUS MANNÆ.

R.	Mannæ	part.	140
	Mellis despumati	»	100
	Sacchari	»	500

Solve in aquæ quingentis partibus, cola et evapora balneo vaporis ut sint syrupi partes 1000. Paretur ex tempore.

SYRUPUS MORORUM.

Syrupus diamorum.

R.	Mororum nigrorum nondum plane maturorum	part.	16
	Sacchari contusi	»	19

Mixta in lebete calefac, leniter versando donec aliquot undis ferbuerint. Tunc per pannum cola sine expressione. Syrupus frigidus Areometro notet 37°.

SYRUPUS OPII.

Syrupus thebaicus.

R.	Extracti Opii gummosi	part.	2
	Sacchari	»	634
	Aquæ destillatæ	»	400

Extractum solve, solutioni filtratæ adde saccharum et evapora ut sint partes syrupi 1000.

SYRUPUS PAPAVERIS ALBI.

Syrupus Diacodion s. *de meconio.*

R.	Extracti alcoholici Papaveris albi	part.	10
	Syrupi simplicis	»	990
			1000

Solve extractum in aquæ destillatæ parva copia; solutionem filtratam adde syrupo et coque donec remaneant partes 1000.

SYRUPUS PAPAVERIS RHOEADOS.

R.	Petalorum Papaveris rhœados siccatorum	part.	45
	Sacchari	»	650
	Aquæ	»	550

Petala cum aqua frigida digere per horas quatuor, tum exprime ac in liquore per filtrum depurato solve saccharum balneo vaporis, ut sint syrupi partes 1000.

SYRUPUS PICIS.

R.	Aquæ Picis navalis	part.	345
	Sacchari pulverati	»	655
			1000

Solve saccharum vase clauso.

SYRUPUS RATANHIÆ.

R.	Extracti Ratanhiæ frigide parati. . . .	part.	50
	Syrupi simplicis	»	950
	Aquæ destillatæ	»	50

Extracto in aqua calida soluto admisce syrupum tepidum ut sint syrupi Ratanhiæ refrigerati partes 1000.

Eadem ratione parentur :

SYRUPI Bistortæ et Tormentillæ.

SYRUPUS RHAMNI CATHARTICI.

Syrupus de Spina cervina. Syrupus domesticus.

R.	Succi Rhamni cathartici	part.	1500
	Sacchari	»	1000

Misce et balneo aquæ evapora ad syrupi consistentiam.

SYRUPUS RHEI.

R.	Radicis Rhei concisæ	part	50
	Sacchari	»	645
	Aquæ Cinnamomi.	»	20
	Aquæ destillatæ quantum sufficit.		

Rheum cum aquæ partibus 300 macera per octodecim horas, calore 20°, et prelo exprime. Liquorem colatum sepone. Adde residuo aquæ partes 200 et, post alteram macerationem per duodecim horas protractam, denuo exprime. Huic colaturæ ad dimidium evaporatæ adde priorem, liquoribusque commixtis ac post ebullitionem colatis adjice saccharum; tandem consume in balneo vaporis, ita ut cum aqua Cinnamomi, sint partes syrupi 1000.

SYRUPUS RHEI COMPOSITUS.

Loco *Syrupi Cichorei cum Rheo.*

R.	Radicis Taraxaci	part.	100
	— Rhei.	»	50
	Sacchari	»	625
	Aquæ Cinnamomi	»	20
	— destillatæ quantum satis.		

Eodem modo procede quo de syrupo Rhei simplicis præceptum est, sed macerando radices cum aquæ majori copia.

SYRUPUS RIBESIORUM.

R.	Succi Ribesiorum recens parati	part.	4
	Sacchari	»	7

Unica ebullitione fiat syrupus Areometro notans 36°-37°.

Paretur eadem norma :

SYRUPI Rubi idæi.

SYRUPUS ROSARUM RUBRARUM.

R.	Petalorum Rosarum rubrarum	part.	100
	Sacchari.	»	655
	Aquæ destillatæ quantum sufficit.		

Eodem modo paretur quo mel Rosarum. Sint syrupi partes 1000.

SYRUPUS SAMBUCI (Ph. Gandavensis).

R.	Succi Baccarum Sambuci recentis . .	part.	1400
	Sacchari	»	1000

Clarificata coquantur ad Syrupi consistentiam.

SYRUPUS SANTONINÆ.

R.	Santoninæ.	part.	1,5
	Alcoholis 28°	»	10
	Syrupi simplicis	»	989

Santoninæ in spiritu vini solutæ adde syrupum.

SYRUPUS SARSAPARILLÆ.

R.	Radicis Sarsaparillæ	part.	250
	Sacchari.	»	650
	Aquæ destillatæ quantum sufficit.		

Radices in frustula minora concisas macera per duodecim horas cum aquæ duplici pondere; dein massam in apparatum depulsorium immitte et superaffunde aquæ quantum satis ut radices obtegantur. Post macerationem per viginti quatuor horas, liquorem effluere sine, novam dein adde aquæ partem, idemque repete donec radices exhaustæ sint. Liquori evaporato ac filtrato adjice saccharum et coque ut supersint syrupi partes 1000.

SYRUPUS SENNÆ.

R.	Foliorum Sennæ	part.	100
	Radicis Liquiritiæ	»	50
	Alcoholeti Fœniculi	»	3
	Sacchari	»	650
	Aquæ quantum sufficit.		

Exhauriatur methodo lixiviatoria cum aqua frigida pars solubilis Sennæ et Liquiritiæ et saccharum solvatur balneo aquæ ut sint, cum alcoholeto Fœniculi, syrupi partes 1000.

SYRUPUS SENNÆ CUM MANNA.

Syrupus Mannæ compositus.

R.	Foliorum Sennæ	part.	60
	Sacchari	»	450
	Mannæ	»	225
	Aquæ quantum sufficit.		

Age uti de syrupo Sennæ præceptum, ut supersint partes syrupi 1000.

SYRUPUS SIMPLEX.

R.	Sacchari albi	part.	9
	Aquæ bullientis	»	5

Fiat lege artis syrupus frigide notans 36°.

Sit incolor. Nec alcohole (86° C.) turbetur, nec potassa liquida calefactus nigrescat.

SYRUPUS SUCCI CITRI.

R.	Succi Citri	part.	363
	Sacchari	»	637
			1000

Solvatur saccharum ex balneo vaporis, in vase vitreo clauso.

Eodem modo parentur :

SYRUPI succi Aurantiorum et succi Cydoniorum.

SYRUPUS SULPHATIS QUININÆ.

R.	Sulphatis quininæ	part.	5
	Aquæ destillatæ	»	16
	— Rabelii	»	2
	Syrupi simplicis	»	993

Sulphati quininæ aqua soluto admisce syrupum calefactum ut sint, post refrigerium, syrupi partes 1000.

Eadem ratione parentur :

SYRUPI Citratis, Chlorhydratis et aliorum Quininæ salium.

SYRUPUS VALERIANÆ.

R.	Radicis Valerianæ	part.	125
	Sacchari.	»	650

Paretur eadem ratione qua syrupus corticum Aurantiorum, ut inde fiant syrupi partes 1000.

SYRUPUS VIOLARUM.

R. Petalorum recentium Violæ odoratæ . part. 165

Petala aquâ tepidâ abluta et dein in mortario marmoreo ad pastam mollem contusa, in vas stanneum immitte ac affunde

Aquæ destillatæ bullientis. . . . . part. 350.

Post macerationem per horas sex, fortiter exprime et colaturam filtra. Tunc sume :

Hujus liquoris.	part.	346
Sacchari albi.	»	654
		1000

Calore lenissimo saccharum solve ut fiat syrupus. In lagenis minoribus et loco obscuro servetur.

Eodem modo paretur :

SYRUPUS florum Persicorum, e floribus recentibus.

TABELLÆ BECHICÆ NIGRÆ.

Trochisci bechici nigri.

R.	Balsami Tolutani	part.	18
	Pulveris Iridis florentinæ	»	18
	— gummi tragacanthæ	»	4
	— sacchari	»	854
	Extracti Liquiritiæ	»	106
			1000

Pulveribus et balsamo simul tritis adde extractum, in aquæ quantitate

sufficienti solutum, ut fiat massa e qua formentur tabellæ, quæ siccatæ sint ponderis grammatis.

TABELLÆ CARBONACEÆ.

Trochisci carbonacei.

R.	Pastæ Cacao cum Vanilla.	part.	510
	Carbonis e ligno	»	190
	Sacchari.	»	294
	Gummi tragacanthæ	»	6
			1000

Pulveratis et intime mixtis, fiat ex arte, cum aqua sufficienti, massa e qua formentur tabellæ in aëre libero siccandæ.

Nota. Age eadem ratione pro aliis tabellis, et siccatæ sint generatim ponderis grammatis unius.

TABELLÆ BI-CARBONATIS SODÆ.

TABELLÆ BI-CARBONATIS NATRICI.

Pastillæ s. trochisci alcalini Vichy.

R.	Bi-carbonatis sodici	part.	50
	Gummi tragacanthæ.	»	6
	Sacchari	»	944
			1000

TABELLÆ CATECHU.

R.	Catechu	part.	200
	Sacchari	»	794
	Gummi tragacanthæ.	»	6
	Aquæ Rosarum quantum satis.		
			1000

TABELLÆ CITRATIS FERRI.

TABELLÆ CITRATIS FERRICI.

R.	Citratis ferrici liquidi	part.	150
	Sacchari	»	910
	Gummi Arabici.	»	40

Quævis tabella contineat 5 centigrammata citratis ferri sicci.

TABELLÆ ACIDI CITRICI.

Tabellæ Citri.

R.	Acidi citrici.	part.	20
	Gummi tragacanthæ.	»	6
	Sacchari	»	974
	Aquæ corticis Citri quantum satis.		
			1000

Eadem ratione parentur :

TABELLÆ cum Acido tartarico.

TABELLÆ IODURETI AMYLI.

R.	Iodureti Amyli recens parati	part.	100
	Gummi Arabici	»	40
	Sacchari.	»	860
			1000

Nota. Quævis tabella continet Iodii centigramma unum.

TABELLÆ IODURETI FERRI.

TABELLÆ IODETI FERROSI.

R.	Iodureti ferrosi recens parati	part.	50
	Gummi tragacanthæ	»	6
	Mellis	»	50
	Sacchari	»	894
			1000

Iodureto aqua soluto adde mel et in capsula porcellanea, igne vivido, evapora ad partes 100; tum ab igne remove et adjice saccharum cum gummi tragacantha mixtum ut sit massa partium 1000, e qua formentur tabellæ.

TABELLÆ IPECACUANHÆ.

R.	Ipecacuanhæ	part.	15
	Gummi tragacanthæ.	»	6
	Sacchari	»	979
			1000

TABELLÆ IRIDIS FLORENTINÆ.

Trochisci bechici albi.

R.	Iridis Florentinæ	part.	60
	Amyli	»	102
	Sacchari	»	832
	Gummi tragacanthæ.	»	6
			1000

TABELLÆ KERMETIS MINERALIS.

Trochisci Kermesini.

R.	Kermetis mineralis	part.	5
	Gummi tragacanthæ.	»	6
	Sacchari	»	989
			1000

TABELLÆ LACTATIS FERRI.

R.	Lactatis ferri	part.	50
	Gummi tragacanthæ.	»	6
	Sacchari	»	944
			1000

TABELLÆ MANNÆ.

R.	Mannæ electæ	part.	125
	Gummi tragacanthæ	»	5
	Sacchari.	»	870
			1000

TABELLÆ MAGNESIÆ.

Tabellæ antacidæ.

R.	Carbonatis magnesiæ.	part.	200
	Gummi tragacanthæ	»	8
	Sacchari.	»	792
			1000

TABELLÆ MARTIALES.

Tabellæ chalybeatæ. Trochisci ferri s. *martiales.*

R.	Ferri porphyrisati	part.	50
	Cinnamomi.	»	20
	Gummi tragacanthæ	»	6
	Sacchari.	»	924
			1000

Eodem modo parentur :

TABELLÆ

Carbonatis ferri. | Oxydi nigri ferri.

TABELLÆ MENTHÆ.

R.	Sacchari	part.	962
	Gummi Arabici	»	15
	— tragacanthæ	»	15
	Olei volatilis Menthæ piperitæ	»	8
			1000

TABELLÆ SANTONINÆ.

Tabellæ ad vermes.

R.	Santoninæ	part.	25
	Gummi tragacanthæ	»	5
	Sacchari	»	970
			1000

TABELLÆ SCAMMONEI COMPOSITÆ.

Trochisci anthelmintici.

R.	Scammonei	part.	25
	Calomelanos	»	25
	Gummi tragacanthæ	»	5
	Sacchari	»	945
			1000

TABELLÆ SPONGIÆ USTÆ.

R.	Spongiæ ustæ tenuissime pulveratæ	part.	250
	Gummi tragacanthæ	»	12
	Sacchari	»	738
			1000

TABELLÆ SULPHURIS.

R.	Florum Sulphuris loti	part.	100
	Gummi tragacanthæ	»	8
	Sacchari	»	892
			1000

TABELLÆ TARTRATIS FERRICO-POTASSICI.

R.	Tartratis ferrico-potassici	part.	50
	Gummi tragacanthæ	»	10
	Sacchari	»	940
			1000


TABELLÆ ZINGIBERIS.

R. Radicis Zingiberis. . . . . part. 100
Gummi tragacanthæ . . . . » 6
Sacchari . . . . » 894

1000

TANNAS PLUMBI.

TANNAS PLUMBICUS.



$$PbO,C^{18}H^{5}O^{9}=PbO,\bar{Tn}.$$

R. Acidi Tannici . . . . part. 3

Solve in

Aquæ destillatæ . . . . » 50

Hanc solutionem misce cum solutione confecta ex

Acetatis plumbi crystallisati . . . . . . part. 3
Aquæ destillatæ. . . . . » 50

Miscela seponatur ut fiat sedimentum, quod ablutum et siccatum in vase clauso serves.

Massa inodora, coloris flavescentis, in aqua non solubilis.

TANNAS QUININÆ.

TANNAS CHINICUS.

R. Quininæ quantum libet.

Affunde in vase porcellaneo, balneo maris imposito,

Acidi acetici diluti quantum satis

ut quinina solvatur. Dein, vase ab igne remoto, instilla sensim

Acidum tannicum aqua solutum


donec præcipitatio cesset. Sedimentum aqua ablue et sicca.

Massa amorpha, albo-lutescens, in aqua parum solubilis, saporis vix amari.

TARTRAS POTASSÆ.

TARTRAS BI-KALICUS.

Kali tartaricum. Tartarus tartarisatus. Sal vegetabile.



$$2KO,C^{8}H^{4}O^{10}=2KO,\bar{Tr}.$$

R. Carbonatis potassæ puri quantum velis.

Solve in

Aquæ ferventis octuplo;

Solutioni per vices adde

bi-Tartratis potassæ depurati et pulverati quantum satis

usque ad saturationem. Liquidum igne leni redige in massam siccam, quam,

ut substantiæ alienæ insolutæ remaneant, solvas in aquæ destillatæ frigidæ partibus decem. Solutionem sepone per horas triginta sex, filtra et supra patinam porcellaneam, calore blando, ad siccum evapora. Massam salinam in pulverem tritam serva in vase probe clauso.

Sal albus, in aëre facile humescens; aqua solutus, ex admixto acido tartarico cremorem tartari deponit. Sit plane neuter et ex toto solubilis; nec aqua hydro-sulphurata, nec sulpho-hydrate ammonico præcipitatum edat. Solutio cum acido nitrico mixta et filtrata liquore chloreti barytici aut nitratis argentici vix turbetur.

TARTRAS POTASSÆ BORAXATUS.

Tartarus boraxatus. Cremor tartari solubilis s. *boraxatus. Borax tartarisatus.*



$$KO,NaO,\overline{Tr}+2(KO,BO^3,\overline{Tr})+3HO.$$

R.	Boratis sodæ pulverati.	part.	3
	Aquæ destillatæ ferventis	»	30
Solve et adde			
	bi-Tartratis potassæ depurati	»	9


Solutione facta, liquor in vase porcellaneo vel vitreo evaporetur ad syrupi consistentiam diluaturque tunc tribus aquæ destillatæ partibus. Liquorem colatum balneo aquæ evapora, sub operationis finem sedulo agitandum, donec ad massam siccam fragilem redigatur. Sal adhuc calidus in mortario calefacto extenuetur in pulverem, qui leni calore iteratim siccatus in vase sicco arcte clauso servetur.

Pulvis albus, aëris humorem facile subducens, in aquæ parte æquali solubilis. Solutio sit limpida, additisque liquoribus ferro-cyanureti potassii et acidi sulpho-hydrici, a metallis alienis libera reperiatur.

BI-TARTRAS POTASSÆ DEPURATUS.

TARTRAS HYDRO-KALICUS.

Tartras kalicus acidus. Kali bitartaricum. Tartarus depuratus. Cremor tartari depuratus.



$$KO,HO,\ C^8H^4O^{10}=KO,HO,\overline{Tr}.$$

R. bi-Tartratis potassæ venalis crystallisati quantum velis.

Pulveratum immitte in apparatum depulsorium et affunde aquam decima parte acidi chlorhydrici acidulatam. Post macerationem per duodecim horas, liquidum effluat et nova aquæ acidulatæ pars substituatur; macera


iterum per horas sex, dein cremorem tartari aqua destillata probe ablutum et siccatum serva.

Crystalli prismaticæ, acidæ, in aquæ ferventis partibus 18, frigidæ circiter 200, et solutione potassica frigida solubiles. Combustæ nonnisi carbonatem kalicum purum relinquant; quod dignoscitur si residuum, acido chlorhydrico diluto solutum, nec ferro-cyanureto kalico, nec oxalate ammonico præcipitetur.

TARTRAS POTASSÆ ET ANTIMONII.

TARTRAS STIBICO-KALICUS.

Kali antimoniato-tartaricum. Antimonium tartarisatum. Tartarus emeticus s. stibiatus. Tartras potassæ stibiatus.



$$KO,SbO^3,C^8H^4O^{10}+2HO=KO,SbO^3,\overline{Tr}+2HO.$$

R.	Oxydi antimonii	part.	2
	Cremoris tartari depurati.	»	3
	Aquæ destillatæ	»	20

Mixta coque per semihoram in vase porcellaneo, sæpius agitando et aquam evaporatam restituendo; cola liquorem adhuc calidum, evapora ad pelliculam et sepone in loco frigido ut crystallisatio fiat. Crystallos collectas, in pulverem tritas, solve in aquæ destillatæ frigidæ partibus quindecim, filtra et, post iteratam crystallisationem, crystallos siccas caute serva in vitris clausis.


In 100 partibus salis continentur aquæ partes 5,14, quæ in aëre libero sensim avolant.

Crystallos exhibet rhombico-octaëdricas, pellucidas, post aliquod tempus opacas, in aquæ frigidæ partibus quatuordecim solubiles. Solutio, affusa aqua hydro-sulphurata, præcipitatum aurantiacum præbet. Sal in carbones candentes projectus nullum odorem alliaceum exhalet. Per ferrum inquinatio ferro-cyanureti potassii detegitur in solutione acido acetico acidulata.

TARTRAS POTASSÆ ET FERRI.

TARTRAS KALICO-FERRICUS.

Tartras ferrico-potassicus. Tartras potassæ ferruginosus. Tartarus chalybeatus.



$$KO,Fe^2O^3,C^8H^4O^{10}=KO,Fe^2O^3,\overline{Tr}.$$

R.	bi-Tartratis potassæ depurati.	part.	1
	Aquæ destillatæ.	»	5

Ferveant in vase argenteo aut porcellaneo; tum, vase ab igne remoto, liquori adhuc calido ingere

Peroxydum ferri hydraticum, recens paratum,


quamdiu calore 50° solvitur. Filtra, liquoremque colatum ad syrupi spissioris consistentiam leni calore evapora; dein supra patinas vel laminas vitreas expande et in caldario sicca. Servetur in vitro probe clauso.

Squamas exhibet splendentes, coloris fusco-rubescentis, saporis styptici, in aqua persolubiles.

TARTRAS POTASSÆ ET SODÆ.

TARTRAS KALICO-NATRICUS.

Kali natro-tartaricum. Tartarus natronatus. Sal Seignetti. Sal polychrestum Seignetti.



$$KO,NaO,C^8H^4O^{10}+10HO=KO,NaO,\overline{Tr}+10HO.$$

R. Carbonatis sodæ crystallisati. . . . . . part. 1
Aquæ fervidæ. . . . . » 6

Inter coquendum in vase stanneo vel porcellaneo, lixivio sensim adde

bi-Tartratis potassæ puri et pulverati quantum satis

ut fiat neutralisatio. Tunc ingere carbonatis sodæ pauxillum quo calx, si immixta sit, præcipitetur. Liquorem sepone per integrum diem, cola, evapora et effice, quoad fieri potest, crystallisationem. Crystallos collectas solutione in aquæ frigidæ partibus tribus et iterata crystallisatione depura. Sal ablutum et siccum serva in vase clauso.

Crystalli sint majores, prismaticæ, pellucidæ, in aquæ duabus partibus solubiles, calore in crystallorum aqua deliquescentes. Solutio, nec aqua hydro-sulphurata, nec oxalate ammonico turbetur.

TINCTURA ABSINTHII.

R. Absinthii sicci contusi. . . . . part. 200
Alcoholis 15° (63° C.) quantum satis.

Absinthium in vase clauso cum duplo alcoholis macera donec herba undique imbuta turgeat, dein immitte in apparatum depulsorium et affunde alcoholis copiam quæ centimetri altitudine massam superemineat. Post macerationem per viginti quatuor horas, liquor effluat et nova alcoholis pars affundatur; tum post alteram macerationem, liquidum denuo effluat et hoc modo perge donec tincturæ, cum liquido e residuo expresso commixtæ, sit pondus 1000.

Eadem ratione parentur :

TINCTURÆ

Aconiti;
Angelicæ;
Arnicæ, e floribus;
Belladonnæ;
Bistortæ;
Cantharidum;
Cardamomi;
Cascarillæ;
Catechu;
Chamomillæ Romanæ;
Chinæ flavæ — fuscæ — rubræ;
Cicutæ s. Conii, e seminibus;
Cinnamomi;
Coccionellæ;
Colchici, e bulbis;
Colchici, e seminibus;
Columbo;
Corticum Aurantiorum;
Croci;
Digitalis;
Galangæ;
Gentianæ;
Guajaci, e ligno;
Hellebori nigri;
Humuli, e strobulis;
Hyoscyami;
Ipecacuanhæ;
Lavandulæ;
Lobeliæ;
Moschi;
Piperis Hispanici;
Quassiæ amaræ;
Ratanhiæ;
Rhei;
Scillæ, e bulbis siccatis;
Sennæ;
Serpentariæ;
Stramonii;
Tormentillæ;
Valerianæ.

NOTA. Tincturæ odore et sapore substantiis extractis generatim respondeant. Serventur in vitris apte clausis.

TINCTURA ACETATIS FERRI ÆTHEREA.

SOLUTIO ACETATIS FERRICI ÆTHEREA.

Tinctura ferri acetici ætherea. Tinctura Martis Klaproth.

R. Sesqui-Chlorureti ferri liquidi quantum velis.

Octuplo aquæ pondere dilue et adde sensim

Ammoniam liquidam

quamdiu sedimentum oritur; hoc elotum et inter chartam bibulam pressione sedulo siccatum immitte in

Acidi acetici duplo aquæ diluti quantum satis

ut solvatur et calore leni solutionem adjuva. Filtratæ hujus solutionis partes novem commisceantur cum

Ætheris acetici . . . . part. 1
Alcoholis rectificatissimi. . . . . » 2

Servetur in vitro arcte clauso, loco frigido.

Sit coloris nigro-fusci; pond. specif. 1,020—1,030. Continet circiter decimam partem ferri oxydati.

TINCTURA ACONITI EX HERBA RECENTE.

R. Herbæ Aconiti recentis . . . . part. 1
Alcoholis 28° (89° C.). . . . . » 1

Herbæ contusæ affunde alcoholem; macera per aliquot dies in vase clauso, tum exprime et filtra.

Eodem modo parentur :

TINCTURÆ

Belladonnæ;
Cicutæ s. Conii;
Digitalis;
Hyoscyami;
Lactucæ virosæ;
Stramonii.

Nota. Tincturæ ex herba recente paratæ non dispensandæ, nisi expressis verbis a Medico postulentur.

TINCTURA ACONITI ÆTHEREA.

R. Aconiti sicci grossiuscule pulverati . . part. 200
Ætheris sulphurici quantum necesse.

Aconitum cum duplo ætheris macera per viginti quatuor horas in apparatu lixiviatorio vitreo rite clauso; tum liquor effluat et nova ætheris pars affundatur. Post alteram macerationem per horas sex, liquidum denuo effluere sine et hoc modo perge donec tinctura obtenta, cum liquido e residuo expresso commixta, sit ponderis 1000.

Eadem ratione parentur :

TINCTURÆ ÆTHEREÆ

Ambræ griseæ;
Arnicæ, e floribus;
Asæ fœtidæ;
Balsami Tolutani;
Belladonnæ;
Cantharidum;
Castorei;
Cicutæ;
Digitalis;
Filicis maris;
Galbani;
Hyoscyami;
Lactucæ virosæ;
Lobeliæ;
Mastiches;
Moschi;
Pyrethri;
Stramonii;
Succini;
Valerianæ.

Nota. Nisi a Medico expressis verbis Tincturaætherea præscripta sit, semper Tinctura alcoholica porrigatur.

TINCTURA ALOES.

R. Aloës contusæ . . . . part. 200
Alcoholis 23° (84° C.) quantum satis.

Macera in vase clauso, cum alcoholis quingentis partibus, per aliquot dies, sæpius versando, tum decantha et residuo adde alcoholis quantum necesse ut quidquid solubile auferatur. Colaturæ commixtæ præbeant massam partium 1000.

Eadem ratione parentur :

TINCTURÆ

Ambræ griseæ;
Asæ fœtidæ;
Balsami Peruviani;
Balsami Tolutani;
Benzoes;
Caryophyllorum;
Colocynthidis;
Euphorbii;
Galbani;
Guajaci, e resina;
Gummi guttæ;
Helenii;
Jalappæ;
Kino;
Laccæ;
Macidis;
Masticlies;
Myrrhæ;
Nucis vomicæ;
Pyrethri;
Sabinæ;
Scammonei;
Vanillæ;
Zingiberis.

TINCTURA ALOES COMPOSITA.

Elixirium longæ Vitæ.

R. Agarici albi. . . . . part. 3
Radicis Gentianæ . . . . » 3
— Rhei . . . . » 3
— Zedoariæ . . . . » 3
Croci sicci. . . . . » 2
Electuarii theriacalis. . . . . » 3
Alcoholis 12° (33° C.) quantum sufficit

ut, maceratione et lixiviatione in apparatu depulsorio, eliciantur
Tincturæ compositæ. . . . . part. 980
in quibus solvantur
Extracti Aloes alcoholici. . . . . . . » 20

1000

TINCTURA ALOES CUM MYRRHA.

Elixirium proprietatis. Elixirium aperitivum.

R. Tincturæ Aloes	part.	4
— Myrrhæ	»	4
— Croci	»	2
		10

Misce.

TINCTURA ALOETICA ACIDA.

Elixirium proprietatis Paracelsi.

R. Tincturæ Aloes cum Myrrha	part.	9
Acidi sulphurici diluti	»	1
		10

Misce.

TINCTURA AROMATICA.

Tinctura Cinnamomi composita.

R. Corticis Cinnamomi	part.	84
Seminum Cardamomi minoris	»	21
Caryophyllorum	»	21
Radicis Galangæ	»	21
— Zingiberis	»	21

Alcoholis 25° (84° C.) quantum sufficit

ut, maceratione et methodo lixiviatoria, eliciantur liquoris partes 1000.

TINCTURA AROMATICA ACIDA.

Loco *Elixirii vitrioli Mynsicht. Tinctura Cinnamomi acida.*

R. Corticis Cinnamomi	part.	84
Seminum Cardamomi minoris	»	21
Caryophyllorum	»	21
Radicis Zingiberis	»	21
— Galangæ	»	21
Sacchari	»	100
Acidi sulphurici concentrati	»	125
Alcoholis 25° (84° C.)	»	500

Incisis et contusis superaffunde alcoholem, antea cum acido sulphurico mixtum ac refrigeratum; digere per sex dies, in apparatum depulsorium immitte et, cum nova alcoholis copia, elice liquoris partes 1000.

TINCTURA BENZOES COMPOSITA.

Tinctura balsamica. Balsamum Commendatoris.

R.	Radicis Angelicæ	part.	20
	Myrrhæ	»	12
	Olibani	»	12
	Aloes	»	12
	Benzoes	»	70
	Balsami Tolutani	»	35
	— Peruviani nigri	»	35
	Alcoholis 22° (79° C.) quantum necesse		

ut, maceratione et methodo lixiviatoria, eliciantur tincturæ partes 1000.

TINCTURA CASTOREI SIBIRICI.

R. Castorei Sibirici siccati et grossiuscule pulverati. part. 100
Alcoholis 15° (64° C.) quantum sufficit.

Digere per aliquot dies in vase clauso, sæpius versando, cum alcoholis partibus quinque; decantha ac residuo adde per vices alcoholis quantum necesse ut quidquid solubile auferatur et colaturæ commixtæ præbeant tincturam partium 1000.

Sit coloris subfusci, odoris gravissimi haud ingrati; aquæ instillata lactescat, nec flocculos fuscos demittat; addita autem ammonia caustica, fiat liquor fere clarus et coloris lutei, non autem rubro-fusci.

Eadem ratione paretur

TINCTURA Castorei canadensis.

Sit coloris obscure rubro-fusci, odoris ingrati; aquæ instillata illam e fuscescenti albidam et valde lactescentem reddit, quæ, affuso liquore ammoniæ causticæ, colore fusco tingitur.

TINCTURA CASTOREI SIBIRICI ÆTHEREA.

R. Castorei Sibirici pulverati . . . . . . part. 100
Ætheris sulphurici quantum satis.

Paretur uti tinctura ætherea Aconiti in apparatu lixiviatorio clauso; sint tincturæ partes 1000.

Eadem ratione obtinetur

TINCTURA ætherea Castorei canadensis.

TINCTURA CHINÆ CROCATA.

Tinctura chinæ Huxhami. Tinctura alexipharmaca Huxhami.

R.	Corticis Peruviani fusci.	part.	100
	Radicis Serpentariæ.	»	20
	Corticum Aurantiorum	»	75
	Croci sicci.	»	8
	Coccionellæ	»	4
	Alcoholis 25° (84° C.) quantum satis		

ut, maceratione et methodo lixiviatoria, fiant liquoris limpidi partes 1000.

TINCTURA PROTO-CHLORURETI FERRI.

SOLUTIO CHLORETI FERROSI.

Tinctura ferri muriatici oxydulati. Tinctura ferri salita.

R.	Chloreti ferrosi	part.	125
	Alcoholis rectificati.	»	875
			1000

Solve et filtra. Ex tempore paretur.

Sit coloris pallide viridis, reactiones chlori et protoxydi ferri ostendens, a cupri etiam vestigiis libera.

TINCTURA SESQUI-CHLORURETI FERRI.

SOLUTIO CHLORETI FERRICI.

Tinctura muriatis ferri.

R.	Sesqui-Chlorureti ferri	part.	125
	Alcoholis rectificati.	»	875
			1000

Solve, cola et serva in vase clauso.

TINCTURA CHLORURETI FERRI ÆTHEREA.

SOLUTIO ÆTHEREO-ALCOHOLICA CHLORURETI FERRICI.

Tinctura nervina Bestuscheff. Liquor anodynus martialis. Spiritus sulphurico-æthereus martiatus.

R.	Sesqui-Chlorureti ferri sicci	part.	100
	Ætheris sulphurici alcoholisati. . . .	»	900
			1000

Chloruretum in lagenam apte claudendam immitte et affundeætherem, miscelam interdum conquassando donec chloruretum plane sit solutum. Solutionem in vitro oblongo obturato et decolore radiis solis expone,

donec colorem flavum penitus amiserit. In lagenis probe clausis et loco aprico servetur.

Sit liquor limpidus, coloris expers aut flavescens, minime fuscus, odoris ætherei, saporis styptici ferrei simulque ætherei; solutione potassæ causticæ addita, sedimentum ex albo-viride aut cæruleo-viridescens oriatur. Loco non aprico asservatus, liquor colorem læte aureum induit.

TINCTURA FERRI POMATA.

Tinctura malatis ferri. Tinctura Martis pomata s. Cydoniata.

R. Extracti ferri pomati. . . . . part. 150
solve in
Alcoholati Cinnamomi aquosi . . . . » 850
1000

Solutionem a residuo per colum defunde et in vase clauso serva.

Sit coloris nigro-cinerei.

TINCTURA GUAJACI AMMONIATA.

Tinctura Guajaci volatilis.

R. Resinæ Guajaci pulveratæ . . . . part. 2
Alcoholis 28° (89° C.) . . . . » 12
Ammoniæ liquidæ. . . . . » 3

Macera in vase clauso, sæpius versando, per quatuor dies et filtra. Servetur in lagenis epistomio vitreo clausis.

TINCTURA IODII.

SOLUTIO IODII ALCOHOLICA.

R. Iodii . . . . part. 80
Alcoholis 29° (90° C.). . . . . » 920
1000

Solve vase clauso, solutionemque limpidam in lagena, epistomio vitreo claudenda, caute serva.

TINCTURA JALAPPÆ COMPOSITA.

Aqua vitæ Germanica.

R. Radicis Jalappæ. . . . . part. 83
— Turpethi . . . . » 11
Scammonei . . . . » 21
Alcoholis 22° (78° C.) quantum sufficit

ut, apparatus depulsatorii ope, eliciantur liquoris partes 1000.

TINCTURA LAVANDULÆ COMPOSITA.

R.	Corticis Cinnamomi.	part.	10
	Nucis moschatæ.	»	10
	Santali rubri.	»	10
	Alcoholis 25° (84° C.) quantum sufficit		

ut methodo lixiviatoria obtineantur liquoris partes 990;

Tum adde

Olei volatilis Lavandulæ. . .	»	7,5
— — Rorismarini . .	»	2,5
		1000

TINCTURA MYRRHÆ COMPOSITA.

Tinctura gingivalis.

R.	Myrrhæ	part.	166
	Catechu	»	166
	Balsami Peruviani	»	21
	Alcoholati Cochleariæ quantum sufficit		

ut, maceratione et apparatu depulsorio, eliciantur liquoris partes 1000.

TINCTURA OPII.

Tinctura thebaica.

R.	Opii depurati	part.	84
	Alcoholis 10° (50° C.) quantum sufficit.		

Macera per biduum cum quingentis partibus alcoholis; decapula, tum, per vices, residuo adde novam alcoholis copiam ut obtineantur tincturæ partes 1000.

TINCTURA OPII BENZOICA.

Tinctura Camphoræ cum Opio et acido benzoico. Elixirium paregoricum acidum s. *Londinense.*

R.	Opii pulverati	part.	5
	Acidi benzoici medicinalis.	»	5
	Camphoræ.	»	3,5
	Olei Anisi	»	2,5
	Alcoholis 25° (84° C.) quantum sufficit.		

Opium cum alcohole per aliquot dies macera et dein liquori filtrato adde acidum benzoicum, Camphoram et oleum Anisi, ut sit massa partium 1000.

TINCTURA OPII FERMENTATIONE PARATA.

Loco *Laudani, s. Guttarum Abbatis Rousseau.*

R.	Opii pulverati.	part.	250
	Mellis albi.	»	750
	Fermenti cerevisiæ recentis.	»	60
	Aquæ ferventis.	»	2750
	Alcoholis 17° (68° C.).	»	250

Opio in aqua diluto adde mel et fermentum cerevisiæ, tum massam fermentationi subjice, per mensem, in caldario, calore 25°. Fermentatione peracta, per colum trajice et liquidum obtentum balneo vaporis consume ita ut remaneant partes 750. Dein liquori alcoholem adde ut sint tincturæ Opii partes 1000.

TINCTURA PYRETHRI COMPOSITA.

Tinctura odontalgica.

R.	Radicis Angelicæ	part.	30
	— Pyrethri	»	30
	Corticis Cinnamomi	»	120
	Resinæ Guajaci.	»	120
	Santali rubri.	»	120

Concisis et contusis superaffunde miscelam paratam cum

Alcoholis 16° (66° C.).	part.	3
Alcoholati Cochleariæ.	»	1.

Adhibeatur hujus mixturæ quantum necesse ut, methodo lixiviatoria, eliciantur tincturæ partes 1000.

TINCTURA STRYCHNINÆ.

SOLUTIO STRYCHNII ALCOHOLICA.

R.	Strychninæ.	part.	5
	Alcoholis 28° (89° C.).	»	995
			1000

Solve in vase clauso et cautissime serva.

Eadem dosi paretur

TINCTURA s. Solutio Veratrinæ alcoholica.

TINCTURA SUCCINI.

R. Succini pulverati . . . . part. 60
Alcoholis 28° (89° C.) quantum satis.

Digere leni calore per triduum ut sint colaturæ partes 1000.

TINCTURA TARTRATIS PROTOXYDI FERRI ET POTASSÆ.

SOLUTIO ALCOHOLICA TARTRATIS FERROSO-KALICI.

Tinctura Martis tartarisata. Tinctura Martis aperitiva.


$KO, FeO, C^8H^4O^{10}$.

R. Limaturæ ferri depuratæ. . . . . part. 2
bi-Tartratis potassæ . . . . » 5

In lebete ferreo misce et cum aquæ sufficienti copia in massam redige pultiformem. Post digestionem viginti quatuor horarum, coque per duas horas cum

Aquæ. . . . . part. 15

aquam evaporatione absumptam restituendo. Liquorem refrigeratum decantha et colatum evapora balneo aquæ ferventis, ad 30° Areometri. Quo facto, liquori admisce

Alcoholis 26° (85° C.). . . . . part. 1

et in vase clauso serva.

TINCTURA VALERIANÆ AMMONIATA.

R. Radicis Valerianæ contusæ. . . . . . . part. 2
Alcoholis 28° (89° C.). . . . . » 8
Ammoniæ liquidæ. . . . . » 3

Macera per decem dies et cola.

TINCTURA WHYTTII.

Tinctura Chinæ composita. Elixirium roborans Whyttii.

R. Corticis Peruviani fusci. . . . . part. 150
Radicis Gentianæ. . . . . » 50
Flavedinis corticum Aurantiorum. . . » 50

Pulveratis et intime mixtis superaffunde miscelæ paratæ cum

Alcoholis 15° . . . . part. 3
Alcoholati Cinnamomi aquosi . . . . . » 1

quantum sufficit ut eliciantur, methodo lixiviatoria, tincturæ partes 1000.

UNGUENTUM SUB-ACETATIS PLUMBI.
UNGUENTUM ACETATIS TRIPLUMBICI.
Unguentum nutritum.

R. Axungiæ porcinæ ;
Olei Olivarum ;
Sub-acetatis plumbi liquidi, partes æquales.

In mortario vitreo vel lapideo terantur ut fiat unguentum molle, ex tempore parandum.

UNGUENTUM ÆGYPTIACUM.
Vide : Mel escharoticum.

UNGUENTUM AMMONIACALE.
Pomatum s. causticum ammoniacale Gondret.

R. Axungiæ porcinæ	part.	250
Sevi ovilli	»	250
Ammoniæ liquidæ.	»	500
		1000

Adipibus, in lagena apta balneo aquæ semiliquatis, ammoniam adde, vas statim claudendo et aliquantisper versando. Paretur ex tempore.

UNGUENTUM AROMATICUM.
Balsamum Nervinum.

R. Medullæ bovinæ depuratæ.	part.	423
Olei e Nuce moschata expressi. . . .	»	423
— volatilis Rorismarini	»	17
— — Caryophyllorum	»	17
Camphoræ	»	17
Balsami Tolutani	»	34
Alcoholis 29° (90° C.).	»	69
		1000

Medullæ et oleo Nucis moschatæ, in lagena apta balneo mariæ liquatis, vase ab igne remoto, admisce Balsamum, olea et Camphoram in alcohole soluta, lagenamque agita donec unguentum refrigeratum sit.

Nota. Generatim serventur Unguenta in vasis porcellaneis, loco frigido et sicco.

UNGUENTUM BASILICUM.
Unguentum Picis.

R. Colophonii colati	part.	143
Picis nigræ colatæ	»	143
Ceræ flavæ.	»	143
Olei Olivarum	»	571
		1000

Pici et Colophonio vaporis balneo liquatis Ceram ac oleum admisce; tum massa agitetur donec sit plane soluta, et, ab igne remota, moveatur usque ad refrigerationem.

UNGUENTUM BELLADONNÆ.

R.	Foliorum Belladonnæ siccatorum .	part.	200
	Aquæ fontanæ	»	200
	Axungiæ porcinæ.	part.	900
	Ceræ citrinæ.	»	100
			1000

Belladonnam in lebete stanneo cum aqua per horas duas maceratam digere balneo vaporis, ac affunde adipem et Ceram calore 100° liquatas. Calefiat massa per horas tres; dein in saccum cannabinum aqua madentem conjiciatur, prelo submittenda inter laminas metallicas tepentes. Quo facto, colatura balneo vaporis iterum calefiat, lente dein refrigeranda. Tum rejiciatur aqua operationis residua, et unguentum liquatione ex balneo maris, bis terve repetita, a fæcibus et humore liberandum est.

Eadem ratione parentur :

UNGUENTA

Cicutæ s. Conii;	Hyoscyami;
Digitalis;	Stramonii.

UNGUENTUM CANTHARIDUM ALBUM.

Unguentum perpetuum.

R.	Cantharidum.	part.	100
	Axungiæ porcinæ.	part.	857
	Ceræ albæ	»	143
			1000

Cantharides grossiuscule pulveratas ter, repetita vice, cum aquæ decuplo coque per horæ sextantem. Colaturis commixtis et ad sextam partem evaporatis Ceram ac Axungiam adde et, calore blando, coque per horæ quadrantem, massam sedulo agitans; tum effunde in vas fictile tepefactum ut lente fiat refrigeratio. Unguentum ab aqua subjacente separatum bis terve liquefiat ut ab omni immunditie et humore liberetur.

Sit e flavo albidum, non rancidum.

UNGUENTUM CANTHARIDUM NIGRUM.

Unguentum Cantharidum cum pulvere.

R.	Cantharidum tenuissime pulveratarum.	part.	150
	Unguenti simplicis	»	850
			1000

Liqua balneo vaporis; post horæ quadrantem ab igne remove, dein agitetur massa ad refrigerationem.

UNGUENTUM CANTHARIDUM VIRIDE.

Unguentum epipasticum viride.

R.	Unguenti populei	part.	476
	Ceræ flavæ	»	175
	Olei Olivarum	»	319
	Cantharidum tenuissime pulveratarum .	»	30
			1000

Liquentur balneo vaporis, tum vase ab igne remoto, agitentur donec refrixerint.

UNGUENTUM CARBONATIS PLUMBI.

UNGUENTUM CARBONATIS PLUMBICI.

Unguentum album simplex. Unguentum Cerussæ.

R.	Carbonatis plumbici	part.	160
	Olei Olivarum	»	210
	Axungiæ porcinæ	»	630
			1000

Tere sal plumbi cum oleo, et admisce adipem. Ex tempore paretur.

UNGUENTUM CARBONATIS PLUMBI CAMPHORATUM.

Unguentum Cerussæ camphoratum. Unguentum album camphoratum.

R.	Camphoræ.	part.	10
	Olei Olivarum	»	20
	Unguenti carbonatis plumbici	»	970
			1000

Camphoram tere cum aliquot guttis spiritus vini, et fiat ex arte unguentum.

UNGUENTUM CETACEI.

R.	Cetacei	part.	188
	Ceræ albæ.	»	62
	Olei Olivarum.	»	750
			1000

Liquentur balneo vaporis et, ab igne remota, diligenter agitentur donec unguentum refrigeat.

UNGUENTUM ELEMI COMPOSITUM.

Balsamum Arcæi.

R.	Resinæ Elemi	part.	250
	Terebinthinæ Venetæ.	»	250
	Sevi ovilli.	»	250
	Axungiæ porcinæ.	»	250
			1000

Liquata balneo vaporis, dein per linteum colata agitentur usque ad refrigerationem.

UNGUENTUM FOENIGRÆCI COMPOSITUM.

Unguentum Althææ s. flavum.

R.	Radicis Curcumæ contusæ.	part.	22
	Seminum Fœnigræci contusorum.	»	22
	Resinæ Pini colatæ	part.	91
	Ceræ flavæ	»	182
	Olei Olivarum	»	727
			1000

Mixta calefiant balneo vaporis per horam ; tum cola per linteum et lente agita donec unguentum refrixerit.

UNGUENTUM FULIGINIS.

R.	Fuliginis e ligno pulveratæ. . . .	part.	250
	Aquæ fontanæ	»	250
	Axungiæ porcinæ depuratæ.	part.	1000

Fuliginem cum aqua mixtam, in vase stanneo balneo vaporis exposito, per horas duas cum Axungia digere, sæpius agitando. Miscelam dein super linteum aqua madentem effunde ac colaturam in vase calefacto recipe. Post refrigerium, aquam amove et unguentum balneo maris liqua, repetita vice, ut a substantiis alienis ac humore purgetur.

UNGUENTUM FULIGINIS CUM KREOSOTO.

R.	Unguenti Fuliginis.	part.	995
	Kreosoti	»	5
			1000

Misce ex tempore.

UNGUENTUM FUSCUM.

Vide : Emplastrum fuscum.

UNGUENTUM HYDRARGYRI.

Unguentum Hydrargyri duplicatum.

R.	Hydrargyri	part.	500
	Axungiæ porcinæ	»	400
	Olei Amygdalarum	»	50
	Sevi ovilli.	»	50
			1000

Hydrargyrum in mortario lapideo cum oleo et Axungiæ quinta parte diligenter tere donec globuli metallici ne oculo quidem armato cernantur; tum admisce sevum et Axungiam reliquam, antea liquata et refrigerata.

Sit cinereum, non rancidum, nullis Hydrargyri globulis conspicuis.

Nota. Hyeme in mortario leviter calefacto unguentum conficere conducit.

UNGUENTUM HYDRARGYRI MITIUS.

Unguentum Neapolitanum. Unguentum cinereum.

R.	Unguenti Hydrargyri	part.	500
	Axungiæ porcinæ	»	500
			1000

Misce.

UNGUENTUM IODII.

R.	Iodii	part.	40
	Alcoholis 29° (90° C.).	»	40
	Axungiæ porcinæ.	»	920
			1000

Misce secundum leges artis. Paretur ex tempore.

UNGUENTUM PROTO-IODURETI HYDRARGYRI.

UNGUENTUM IODETI HYDRARGYROSI.

R.	Iodeti hydrargyrosi.	part.	40
	Axungiæ porcinæ.	»	960
			1000

Eadem dosi paretur:

UNGUENTUM bi-Iodureti Hydrargyri.

UNGUENTUM IODURETI POTASSII.

UNGUENTUM IODETI KALICI.

R.	Iodureti potassii	part.	100
	Aquæ destillatæ	»	100
	Axungiæ porcinæ.	»	800
			1000

Ioduretο aqua soluto, fiat unguentum ex tempore parandum.

UNGUENTUM IODURETI POTASSII IODATI.

Unguentum Iodii compositum.

R.	Iodii	part.	30
	Iodureti potassii	»	90
	Axungiæ	»	880
			1000

Exactissime terendo misce cum aliquot spiritus vini guttis.

UNGUENTUM LAPIDIS CALAMINARIS COMPOSITUM.

Unguentum oxydi Zinci nativi.

R.	Lapidis calaminaris præparati. . . .	part.	125
	Carbonatis plumbi pulverati.	»	125
	Olei Olivarum	»	75
	Ceræ flavæ.	»	250
	Sevi ovilli.	»	175
	Medullæ bovinæ.	»	250
			1000

Pulveribus cum oleo in mortario calefacto tritis adde Ceram et pinguedines liquatas; tum agitetur lente massa usque ad refrigerationem.

UNGUENTUM LAURINUM.

R.	Baccarum Lauri.	part.	500
	Foliorum Lauri recentium . . .	»	500
	Aquæ fontanæ.	»	500
	Axungiæ porcinæ	part.	1000

Foliis et baccis contusis ac per horas duas cum aqua maceratis admisce adipem et perficiatur unguentum sicuti de unguento Belladonnæ præceptum est.

UNGUENTUM MEZEREI.

R.	Corticis Mezerei	part.	400
	Axungiæ porcinæ	part.	800
	Ceræ flavæ	»	200
			1000

Corticem Mezerei minutim concisum et aqua leviter irroratum, in massam fibro-tomentosam contunde. Hanc dein cum aquæ pari pondere balneo vaporis impone, ac, quum fervet aqua, admisce Ceram et Axungiam simul antea liquatas. Fove per horas quatuor, tum massam cum aquæ ferventis æquali pondere subactam affunde in saccum cannabinum aqua madentem,

preloque inter laminas metallicas tepentes preme. Tandem separentur fæces et aqua sicuti de unguento Belladonnæ indicatum est.

UNGUENTUM MEZEREI EXTEMPORANEUM.

R.	Extracti Mezerei ætherei	part.	48
	Unguenti simplicis	»	952
			1000

UNGUENTUM NITRATIS HYDRARGYRI.

UNGUENTUM NITRATIS HYDRARGYRICI.

Unguentum Hydrargyri citrinum. Unguentum citrinum.

R.	Hydrargyri	part.	69
	Acidi nitrici puri 36°	»	103
	Axungiæ porcinæ	»	414
	Olei Olivarum	»	414
			1000

Hydrargyrum in acido solve, dein liquorem etiamnum calentem oleo et Axungiæ ad calorem 100° tepefactis inter assiduam agitationem ingere, massamque semirefrigeratam in capsulas chartaceas effunde.

Sit coloris flavescentis.

UNGUENTUM OPIATUM.

R.	Opii tenuissime pulverati	part.	40
	Axungiæ porcinæ	»	960
			1000

Misce. Para ex tempore.

UNGUENTUM OXYDI HYDRARGYRI.

UNGUENTUM OXYDI HYDRARGYRICI.

Unguentum Hydrargyri rubrum. Balsamum ophthalmicum rubrum.

R.	Oxydi hydrargyrici præparati	part.	20
	Axungiæ porcinæ	»	980
			1000

Paretur ex tempore.

UNGUENTUM OXYDI ZINCI.

UNGUENTUM OXYDI ZINCICI.

Unguentum Zinci.

R.	Oxydi Zinci	part.	100
	Cerati simplicis	»	900
			1000

Misceantur exactissime.

UNGUENTUM OXYGENATUM.

Axungia oxygenata.

R. Acidi nitrici puri 36°	part.	63
Axungiæ porcinæ	part.	1000

Axungiæ, in vase porcellaneo vaporis balneo liquatæ, instilla acidum et, inter agitandum, calori blando expone donec charta cærulea exploratoria non amplius rubeat; tunc effunde in capsulas papyraceas. Servetur in vase apte clauso.

Sit coloris flavescentis, odoris quasi rancidi.

UNGUENTUM PICIS LIQUIDÆ.

R. Picis liquidæ	part.	20
Axungiæ	»	80
		100

Simul liquatis per linteum cola.

UNGUENTUM POPULEUM.

R. Gemmarum Populi	part.	200
Foliorum Belladonnæ	»	125
— Hyoscyami	»	125
Aquæ fontanæ	»	500
Axungiæ porcinæ	part.	1000

Gemmas foliaque siccata ac contusa per sesquihoram cum aqua macerata, balneo vaporis calefac; adde adipem et, calore per horas tres protracto, massam subjice prelo, et unguentum depuretur uti de unguento Belladonnæ præceptum est.

UNGUENTUM ROSATUM.

R. Axungiæ porcinæ	part.	900
Ceræ flavæ	»	100
Olei Rosarum	»	0,5
		1000,5

Axungiæ et Ceræ liquatis ac refrigeratis oleum Rosarum instilla.

UNGUENTUM RUBRUM BALSAMICUM.

Balsamum Locatelli.

R.	Olei Olivarum.	part.	498
	Ceræ flavæ	»	248
	Terebinthinæ Venetæ.	»	170
	Balsami Peruviani.	»	42
	Santali rubri tenuissime pulverati . .	»	42
			1000

Ceræ, oleo ac Terebinthinæ balneo aquæ liquatis, dein ab igne remotis adde balsamum et Santalum, massam lente quatiendo usque ad refrigerationem.

UNGUENTUM RUBRUM LABIALE.

Ceratum labiale rubrum.

R.	Radicis Alcannæ.	part.	30
	Olei Amygdalarum dulcium . . .	»	268
	Axungiæ porcinæ	»	268
	Ceræ albæ.	»	464

Digerantur per horam in balneo aquæ, interdum miscenda, ac dein per linteum exprimantur. Tunc sume

Hujus unguenti liquati	part.	980
Balsami Peruviani	»	5
Olei volatilis Caryophyllorum.	»	5
— — Citri	»	5
— — Bergamottæ	»	5
		1000

UNGUENTUM SABINÆ.

Ceratum Sabinæ.

Paretur cum herba Sabinæ uti de unguento Mezerei præscriptum est.

UNGUENTUM SIMPLEX.

R.	Axungiæ porcinæ	part.	850
	Ceræ albæ	»	150
			1000

Balneo vaporis liquata moveantur donec refrigeant.

UNGUENTUM STYRACIS COMPOSITUM.

Unguentum de Styrace.

R.	Olei Olivarum.	part.	234
	Styracis liquidi	»	149
	Elemi	»	149
	Ceræ flavæ.	»	149
	Terebinthinæ Venetæ.	»	319
			1000

Resinis balneo vaporis liquatis ingere Ceram et oleum; cola per linteum calefactum ac lente agita donec unguentum frigeat.

UNGUENTUM SULPHURATUM.

R.	Sulphuris depurati.	part.	200
	Axungiæ porcinæ	»	700
	Olei Olivarum..	»	100
			1000

Misce. Paretur ex tempore.

UNGUENTUM SULPHURATUM ALCALINUM.

Pomatum sulphuro-alcalinum Helmerich.

R.	Carbonatis potassæ	part.	87
	Aquæ fontanæ	»	44
	Sulphuris depurati	»	174
	Axungiæ porcinæ	»	695
			1000

Sulphuri cum Axungia diligenter trito admisce carbonatem potassæ in aqua solutum.

UNGUENTUM TARTARI STIBIATI.

UNGUENTUM TARTRATIS STIBICO-KALICI.

Unguentum Autenrieth.

R.	Tartari stibiati tenuissime pulverati . .	part.	150
	Axungiæ porcinæ	»	850
			1000

Misce ex tempore.

UNGUENTUM VERATRINÆ.

R.	Veratrinæ	part.	10
	Axungiæ porcinæ.	»	990
			1000

Caute et exactissime misceantur.

UREA.

Cyanas ammonicus anomalis. Ureum. Nephrinum.


$C^2N^2H^4O^2$.


R.	Ferro-cyanureti potassii exsiccati . . .	part.	56
	bi-Oxydi mangani pulverati et sicci. . .	»	28
	Sulphatis ammonici sicci.	»	41

Ferro-cyanuretum potassii in catino ferreo penitus, caloris ope, siccatum cum peroxydo mangani probe misceatur, miscelaque in patina ferrea plana, igne supposito, calefiat calore obscure rubro quamdiu comburatur; agitatione strenua massæ conglobatio impediatur. Massam refrigeratam ac in pulverem contritam cum aqua frigida digere et filtra; residuum in filtro aqua ablue; filtratum primum sepone; in aquis lavatoriis ultimis frigide solve sulphatem ammoniæ, tum adde liquorem priorem magis concentratum; miscelam calefac usque ad ebullitionem, et, in balneo aquæ fervidæ, evaporatione eo usque consume ut sulphatis potassæ, in liquido refrigerato concreti, maxima pars decanthatione separari possit. Lixivium ultimum in balneo aquæ exsicca. Residuum in pulverem extenuatum coque cum alcohole rectificatissimo, quamdiu aliquid dissolvitur. Solutio spirituosa, tum destillatione, tum refrigeratione concentrata, Ureæ demittit crystallos, quæ siccatæ in vase clauso servantur.

Sint crystalli prismaticæ, aciculares, saporis refrigerantis, amarinsculi, inodoræ si puræ, neutrales, facile aqua et alcohole solubiles. Calore 102° absque decompositione liquantur.

VALERIANAS QUININÆ.

VALERIANAS CHINICUS.


$C^{38}H^{24}N^2O^4,HO,C^{10}H^9O^3+3HO=\overset{+}{Q},HO,\overline{V}a+3HO$.

R.	Quininæ	part.	3	
	Alcoholis 30°	»	12	
	Acidi valerianici.	»	1	s. Q. S.


Quininæ in alcohole tepenti solutæ adde sensim acidum valerianicum usque ad neutralisationem. Solutio, si colorata, cum aquæ pari copia carbonisque animalis depurati parva quantitate per aliquot horas, igne blando, digeratur; dein filtrata, calore 50°, ad dimidium fere evaporetur et seponatur ad crystallisationem, post aliquot dies absolvendam. Liquor residuus, calore 40° concentratus, refrigerando iterum demittit crystallos, quæ, in charta bibula siccatæ, vase clauso serventur.

Crystalli aciculares vel tabulares, peramaræ, odorem acidi valerianici levem spirantes. In aqua, calore vix 90° superante, oleoginosæ fiunt et refrigerio consistentiam

resinosam assumunt. Solvuntur in 110 partibus aquæ frigidæ, in 6 alcoholis 80° C. frigidi, fervidi autem in pari pondere. In æthere vix solubiles sunt. Cum quadruplo circiter acidi chlorhydrici diluti pondere mixtæ decomponuntur et acidum valerianicum, olei instar, liquido innatat odoreque proprio dignoscitur.

VALERIANAS SESQUI-OXYDI FERRI.

VALERIANAS FERRICUS.



$$2Fe^2O^3,3C^{10}H^9O^3+Fe^2O^3,C^{10}H^9O^3+2HO=2Fe^2O^3,3\overline{V}a+Fe^2O^3,\overline{V}a+2HO.$$

℞. Acidi valerici diluti quantum velis

affunde per vices

Hydratis oxydi ferrici recentis quantum sufficit


ad saturationem. Massam in filtro collige, ablue et sicca.

Pulvis ruber, saporis leviter saccharini, in alcohole at non in aqua solubilis; aqua fervente decomponitur.

VALERIANAS ZINCI.

VALERIANAS ZINCICUS.

Zincum valerianicum.



$$ZnO,C^{10}H^9O^3=ZnO,\overline{V}a.$$

Paratur saturando acidum valerianicum aqua solutum cum carbonate vel oxydo zinci hydrate recens præcipitato, leni calore juvante. Solutio tepida filtretur et ad crystallisandum, igne blando, evaporetur.

Crystalli squammiformes, niveæ, nitoris margaritacei; in aëre non mutantur; vix melius aqua fervida quam frigida solvuntur. Acido chlorhydrico diluto, eodem modo ac valerianas quininæ, decomponuntur.

Nota. Valerianati zincico quandoque Butyras zincicus substitutus invenitur; sed hic cum solutione concentrata acetatis cupri præcipitatum cærulescens edit, ille vero nihil præcipitat.

VERATRINA.

Veratrinum, Veratrium. Sabadillina.

℞. Seminum Sabadillæ contusorum quantum velis.

Digere pluries leni calore, cum alcoholis rectificati triplo pondere, ut solubile quidquid auferatur. Alcohole decanthato, residuum exprime et e liquoribus commixtis ac in retortam excipulo instructam immissis, spiritum destillatione elice. Liquidum aquosum in retorta remanens, ad syrupi consistentiam evaporatum, ter aut sæpius cum aqua acido sulphurico acidulata coque, quoad decoctum, potassa vel soda affusa, non amplius turbetur. Veratrina hoc modo solvitur materiamque crassam rejiciendam relinquit. Decoctis ad syrupi crassitudinem, calore blando, evaporatis et dein

refrigeratis admisce magnesiæ ustæ quantitatem sufficientem ut acidi saturatio fiat. Tum miscelam inter chartas bibulas exprime et, probe ablutam et siccatam, cum alcoholis triplo pondere, igne leni, bis terve digere. E tincturis ita paratis, spiritum destillatione exprome, et partem in retorta remanentem, cum aqua acido sulphurico acidulata et cum carbone animali depurato coque per horæ quadrantem. Liquori filtrato et ad spissitudinem syrupi, calore leni, evaporato, instilla ammoniæ liquidæ quantum sufficit ad veratrinam præcipitandam; tum liquorem sepone ut fiat sedimentum, quod aqua elotum in aëre, calore modico, sicca. Cautissime servetur in vase apte clauso.

Pulvis albidus, odoris expers, alcalinæ reactionis, calore 115° C. liquescens, in alcohole et æthere, vix autem in aqua solubilis. Sternutationem vehementem excitat.

VINUM ABSINTHII.

Tinctura Absinthii vinosa.

R. Absinthii contusi. . . . . part. 30
Alcoholis 25° (84° C.) . . . . » 30
Vini Malacitani quantum necesse

ut perficiantur tincturæ vinosæ partes 1000.

Herbam cum alcohole et pauco vino per biduum macera, et partem solubilem ope vini extrahe eodem modo ac pro tinctura alcoholica Absinthii præceptum est.

Eadem ratione parentur :

VINA s. TINCTURÆ VINOSÆ

Cardui benedicti;	Gentianæ;
Centaurii minoris;	Lupuli;
Chinæ flavæ,—fuscæ,—rubræ;	Quassiæ;
Corticum Aurantiorum;	Valerianæ.

Nota. Tincturæ vinosæ seu Vina medicata loco frigidiusculo et in vasis arcte clausis serventur.

VINUM AMARUM ALCALISATUM.

Elixirium stomachicum Viennense.

R. Corticum Aurantiorum . . . . . . part. 75
Vini Malacitani quantum sufficit

ut methodo lixiviatoria obtineantur tincturæ vinosæ. . . part. 900
in quibus solvantur

Extracti Absinthii.	part.	20
— Cardui benedicti.	»	20
— Centaurii minoris	»	20
— Gentianæ	»	20
Carbonatis potassæ	»	20

ut obtineatur massa vini alcalisati partium 1000.

Elixirium detur limpidum.

VINUM ANTIMONIATUM.

Vinum Antimonii. Vinum stibiatum s. *emeticum.*

R. Tartari stibiati.	part.	50
Vini Malacitani.	»	950
		1000

VINUM ANTISCORBUTICUM.

Vinum Cochleariæ s. *Raphani compositum.*

R. Radicis recentis Raphani rusticani . . .	part.	32
Herbæ recentis Cochleariæ.	»	16
— — Nasturtii	»	16
— — Trifolii aquatici	»	16
Seminum Sinapeos nigri contusorum. .	»	16
Chlorhydratis ammoniæ	»	8
Alcoholati Cochleariæ compositi	»	16
Vini albi generosi.	»	1000

Macera per triduum, vase clauso; dein exprimendo cola, et, post aliquot dies, per chartam trajice.

VINUM AROMATICUM.

Tinctura aromatica vinosa.

R. Specierum aromaticarum. . . part. 100
Vini rubri quantum sufficit

ut methodo lixiviatoria eliciantur liquoris. . . . . . part. 936
Tum affunde

Alcoholati aromatici.	»	64
		1000

VINUM AURANTIORUM COMPOSITUM.

Vinum amarum. Elixirium viscerale Hoffmanni.

R. Flavedinis corticum Aurantiorum. part. 60
Vini Malacitani quantum sufficit

ut lixiviatione eliciantur tincturæ vinosæ . . . . . . part. 950
in quibus solvantur

Extracti	Cardui benedicti	part.	10
—	Cascarillæ	»	10
—	Centaurii minoris	»	10
—	Gentianæ.	»	10
—	Myrrhæ aquosi	»	10
			1000

VINUM IPECACUANHÆ.

Tinctura Ipecacuanhæ vinosa.

R. Corticis radicis Ipecacuanhæ pulverati. part. 60
Alcoholis 25° (88° C.) . . . . » 30
Vini Malacitani quantum sufficit

ut perficiantur tincturæ vinosæ partes 1000.

Ipecacuanham cum alcohole et vini pondere duplici macera quoad penitus imbuta sit; dein in apparatum depulsorium immitte et affunde vini talem copiam quæ centimetris quinque pulverem superemineat. Post macerationem per aliquot dies liquor effluat, et operationem perfice eodem modo quo pro tinctura Absinthii alcoholica indicatur.

VINUM MARTIATUM.

Vinum chalybeatum s. ferratum.

R. Lactatis ferri.	part.	1
Vini Malacitani.	»	999
		1000

Paretur ex tempore.

VINUM OPII.

Tinctura Opii vinosa.

R. Opii depurati . . . . part. 84
Vini Malacitani quantum sufficit.

Paretur uti tinctura Opii alcoholica. Sint vini Opii partes 1000.

VINUM OPII AROMATICUM.

Laudanum liquidum Sydenhami.

R. Cinnamomi pulverati . . . . part. 9
Caryophyllorum contusorum . . . » 9
Croci sicci. . . . . » 34
Vini Malacitani quantum necesse

ut maceratione, et methodo lixiviatoria, parentur liquoris aromatici. . . . . part. 933

in quibus solvantur

Extracti Opii gummosi . . . . » 67

1000

VINUM RHEI.

Tinctura Rhei vinosa.

R. Radicis Rhei minutim concisæ. . part. 143
Alcoholis 25° (84° C.) . . . . . » 100
Vini Malacitani quantum sufficit

ut eliciantur methodo lixiviatoria liquoris partes 1000.

VINUM RHEI AROMATICUM.

R. Vini Rhei . . . . part. 950
Tincturæ Cardamomi. . . . . » 50

1000

VINUM SCILLITICUM.

Tinctura Scillæ vinosa.

R. Scillæ grossiuscule pulveratæ. . . part. 60
Vini Malacitani quantum sufficit

ut maceratione et lixiviatione eliciantur vini medicati partes 1000.

VINUM SEMINUM COLCHICI.

Vinum Colchici.

R. Seminum Colchici contusorum. . part. 150
Alcoholis 20°. . . . . » 100
Vini Malacitani quantum sufficit.

Macera per hebdomadem cum alcohole et vini quingentis partibus, tum methodo lixiviatoria cum vino eliciantur liquoris partes 1000.

PARS TERTIA.

REAGENTIA ET TABULÆ VARIÆ.

PARS TERTIA.

REAGENTIA ET TABULÆ VARIÆ.

REAGENTIA

quibus Pharmacopola ad exploranda medicamina indiget.

Ea quorum præparatio in secunda parte Codicis exposita est, nomine tantum indicantur.

ACETAS PLUMBI SOLUTUS.

Paretur cum acetatis plumbi depurati parte una et aquæ destillatæ partibus novem.

Sit limpidus, nec turbetur acido carbonico ; quod si fiat, paulisper acidi acetici adde ut oxydum plumbi non prævaleat. Liquore ferro-cyanureti potassii præcipitatum albissimum edat.

SUB-ACETAS PLUMBI SOLUTUS.

Sub-Acetas plumbi liquidus cum aquæ destillatæ quadruplo diluatur; liquor filtratus in vasis apte clausis servandus.

ACIDUM ACETICUM CONCENTRATUM.

ACIDUM CHLORHYDRICUM.

ACIDUM IODICUM.

Iodium pulveratum cum decuplo acidi nitrici pond. spec. 1,50 (1) in vase vitreo colli longioris, leni calore coque, vas sæpius movendo ut iodium sublimatum eluatur e parietibus. Quum iodium evanuerit, liquorem fere ad siccum evapora, et residuum aqua fervida solutum filtratum-

(1) Si acidum nitricum hujus densitatis deficit, paretur destillando leni calore acidum 40° cum quintuplo acidi sulphurici concentrati, cavendo ne destillatio, calore supra 150°, instituatur. Obtinetur quoque acidum nitricum pond. spec. 1,50, si nitras potassæ bene siccatus cum pari pondere acidi sulphurici concentrati destilletur.

que, tum evaporatione tum refrigeratione, in crystallos redige, quas, si opus est, iterata crystallisatione depures.

Crystallos exhibet albas, splendentes, saporis peracidi et styptici, in aqua facile, ægre autem in alcohole solubiles. Solutio aquosa, addito sale quodam Morphinæ, colorem ex Iodio assumit fuscum, qui, affusa aqua Amyli, in cæruleum vertit.

ACIDUM NITRICUM PURUM.

ACIDUM SULPHO-HYDRICUM LIQUIDUM.

Sit hyalinum, odoris fortis hepatici; ab affusa aqua chlori lactescat.

ACIDUM SULPHURICUM DESTILLATUM.

ACIDUM TANNICUM.

Solutio hujus acidi recens ad alcaloïdea vegetabilia necnon ad albumina gelatinamque præcipitanda præcipue inservit.

ACIDUM TARTARICUM.

In alcoholis rectificati pondere triplo solutum ad potassam præcipitandam adhibetur.

AETHER.

Bromium necnon bi-Chloruretum Hydrargyri ab aqua separat.

ALCOHOL RECTIFICATISSIMUS.

AMMONIA LIQUIDA.

AQUA AMYLI.

Amylum Solani tuberosi cum aquæ destillatæ centuplo coquatur per horæ quadrantem, dein filtretur. Paretur ex tempore.

AQUA CALCIS.

AQUA CHLORI.

CARBONAS AMMONIÆ SOLUTUS.

Carbonatis ammoniæ puri pars una solvatur in aquæ destillatæ partibus novem et liquor filtratus in vase clauso servetur.

CARBONAS SODÆ SOLUTUS.

Cum carbonatis sodæ depurati parte una et aquæ destillatæ partibus quatuor paretur.

Cave ne sulphuretum aut hyposulphitem sodicum contineat.

BI-CARBONAS SODÆ SOLUTUS.

Paretur cum bi-carbonatis sodæ parte una et aquæ destillatæ partibus novem. In vasis probe clausis servetur.

Ad salia Magnesiæ a salibus Calcis et Aluminis discernenda adhiberi potest.

CHARTA EXPLORATORIA CÆRULEA.

Lacca Musci pulverata cum aquæ destillatæ sextuplo infundatur per viginti quatuor horas, vas interdum agitando. Liquore filtrato illinantur segmenta chartæ albissimæ, ita quidem ut non nimio colore saturata sint; quæ, suspensione in aëre siccata, in vitris obturatis et loco obscuro serventur.

CHARTA EXPLORATORIA CÆRULEA RUBEFACTA.

Charta exploratoria cærulea immergatur aquæ centesima circiter parte acidi chlorhydrici diluti acidulatæ, ita ut colorem rubrum induat; dein siccata servetur in vase clauso.

CHARTA EXPLORATORIA LUTEA.

Radix Curcumæ concisa digeratur cum aquæ destillatæ fervidæ sextuplo, per horas tres. Liquore filtrato illinantur papyri ut supra, et loco obscuro serventur.

CHLORURETUM BARYI SOLUTUM.

Cum chlorureti baryi parte una et aquæ destillatæ partibus novem paretur.

SESQUI-CHLORURETUM FERRI SOLUTUM.

Cum sesqui-chlorureti ferri parte una et aquæ destillatæ partibus novem parandum.

Morphinæ acidisque tannico et succinico detegendis præcipue inservit.

BI-CHLORURETUM HYDRARGYRI SOLUTUM.

Paretur cum bi-chlorureti parte una et aquæ destillatæ partibus viginti quatuor.

PER-CHLORURETUM PLATINI.

R. Platini quantum libet.
Acidi nitro-chlorhydrici quantum sufficit.

Solve calide; tum fere ad siccum evapora et residuum cum aquæ destillatæ partibus viginti dilue.

BI-CHROMAS POTASSÆ.

Præparatum officinarum chemicarum.

Crystallos exhibet obscure rubras, in aqua facile solubiles; nova crystallisatione sunt depurandæ. Solutio hujus salis aquosa liquore nitratis barytæ præcipitatum edat quod, affuso acido nitrico, perfecte solvitur.

FERRO-CYANURETUM POTASSII SOLUTUM.

Ferro-cyanureti potassii depurati pars una solvatur in aquæ destillatæ partibus novem.

Liquor filtratus sit limpidus; liquore chlorureti baryi non turbetur; præcipitatum nitrate argenti productum in acido nitrico sit solubile.

IODURETUM POTASSII SOLUTUM.

Paretur cum iodureti potassii parte una et aquæ destillatæ partibus quatuor.

Cave ne carbonatem potassæ aut chloruretum potassii contineat.

IODURETUM POTASSII IODATUM SOLUTUM.

Iodureti potassii pars una et iodii pars quoque una solvantur in aquæ destillatæ partibus quinquaginta.

Solutio filtrata ad alcaloidea vegetabilia investiganda adhibetur.

LIQUOR IODURETI POTASSII CHLOROMETRICUS.

Iodureti potassii sicci et puri grammata 2,482 solvantur in aquæ puræ sufficienti quantitate ut solutio volumen litri, temperatura 0°, exhibeat. Servetur in vase vitreo bene clauso.

Hæc solutio volumine æquali gas chlorici, post præactam colorationem, perfecte decoloretur.

Ut hoc liquore valor chlorureti calcis dijudicari possit, sumantur, verbi gratia, 50 centimetra liquoris chlorometrici, quibus pauxillum acidi chlorhydrici liquidi addatur; tum infundatur, guttatim et sub continua agitatione, miscela e grammate chlorureti calcis et aquæ puræ decilitro parata, donec liquor, qui prius colorem fuscum assumpserit, perfecte decolor appareat, curando ut, per operationem, aciditatem non amittat. E volumine adhibito liquoris chlorureti calcis, vis hujus substantiæ facile deducitur, quia in isto volumine 50 centrimetra chlori inesse compertum erit.

LIQUOR NITRATIS ARGENTI NORMALIS.

Solvantur nitratis argenti fusi 625 milligrammata in aquæ puræ quantitate congrua ut solutio decimæ litri parti respondeat. Servetur, loco obscuro, in vase vitreo apte clauso.

Hujus solutionis centilitrum unum requiritur ad perfectam præcipitationem unius centigrammatis acidi cyanhydrici puri, ideoque ad explorationem acidi cyanhydrici medicinalis adhiberi potest.

NITRAS ARGENTI SOLUTUS.

Fiat cum nitratis argenti sicci ac puri parte una et aquæ destillatæ partibus novem. A luce seclusus servetur.

NITRAS BARYTÆ SOLUTUS.

Liquor chlorureti baryi, duplo aquæ dilutus, ope liquoris carbonatis ammoniæ præcipitetur. Præcipitatum filtratione separatum, aqua destillata bene edulcoratum, in acidi nitrici dilutioris quantitate haud excedente solvatur et solutio filtrata, lege artis, in crystallos redigatur. Crystalli siccatæ solvantur in aquæ destillatæ partibus novem.

OXALAS AMMONIÆ SOLUTUS.

Acidum oxalicum aqua solutum cum sufficienti quantitate ammoniæ liquidæ perfecte saturetur et liquor limpidus ad crystallisationem evaporetur. Crystallorum pars una solvatur in aquæ partibus viginti novem.

Crystalli sint albæ, igne volatiles; nec a sulpho-hydrate ammonico liquido colorem alienum assumant.

PHOSPHAS SODÆ SOLUTUS.

Cum phosphatis sodæ crystallisati parte una et aquæ puræ partibus novem paretur.

POTASSA CAUSTICA SOLUTA.

SULPHAS CUPRI SOLUTUS.

Sulphatis cupri crystallisati pars una in aquæ puræ partibus novem solvatur.

SULPHAS CUPRI AMMONIACALIS SOLUTUS.

Paretur solvendo hujus salis partem unam in novem partibus aquæ puræ.

SULPHAS FERROSUS SOLUTUS.

Sulphatis ferrosi crystallisati puri pars una in aquæ puræ fervidæ partibus novem solvatur. Fiat solutio ex tempore.

SULPHAS MAGNESIÆ SOLUTUS.

Cum sulphatis magnesiæ depurati parte una et aquæ destillatæ partibus novem paratus.

Liquore oxalatis ammoniæ non turbetur.

SULPHAS SODÆ SOLUTUS.

Sulphatis sodæ depurati pars una solvatur in aquæ puræ partibus novem.

SULPHO-HYDRAS AMMONICUS SOLUTUS.

Gas hydrosulphuratum ducatur per tubulum vitreum in liquorem ammoniæ causticæ bene refrigeratum, donec nil amplius absorbeatur. Servetur in lagunculis plenis, arcte clausis, loco obscuro et frigido.

Sit limpidus, plane volatilis; affuso acido sulphurico vix lactescat, sed gas hydrosulphuratum copiose emittat. Liquorem sulphatis magnesiæ non præcipitet.

TINCTURA GALLARUM.

Macerentur per triduum Gallæ contusæ cum alcoholis rectificati sextuplo, subinde agitando; dein filtretur liquor.

Nota. Tincturæ Gallarum substitui potest solutio acidi tannici, aquæ partibus viginti soluti, cui additur ætheris pars una ad liquorem servandum.

CUPRUM, FERRUM ET ZINCUM.

Serventur hæc metalla in lamellis nitentibus, vase sicco et clauso, in quo fragmenta calcis vivæ, charta leviter involuta, deponi possunt, ut humiditas, qua metallorum oxydatio promovetur, avertatur.

TABULA I.

Pondera specifica minima et maxima Oleis æthereis propria, temperat. 15° C.

OLEA ÆTHEREA.	MINIM.	MAXIM.
Oleum Absynthii.	0,900	0,972
Amygdalarum amararum	1,043	1,075
Anethi	0,881	0,951
Animale Dippelii	0,750	0,895
Anisi stellati	0,967	0,987
Anisi vulgaris	0,972	0,995
Artemisiæ dracunculoïdes	0,935	0,950
Asphalti rectificatum	0,864	0,920
Aurantii, e floribus	0,820	0,908
Aurantii, e corticibus	0,840	0,888
Bergamottæ	0,856	0,888
Cajeputi	0,907	0,948
Calami	0,890	0,995
Cardamomi	0,928	0,945
Carvi	0,914	0,974
Caryophyllorum	1,030	1,066
Cascarillæ	0,909	0,958
Chamomillæ romanæ	0,906	0,935
Chamomillæ vulgaris	0,924	0,947
Cinnamomi Ceylanici	1,006	1,091
Cinnamomi Chinensis	1,044	1,095
Citri, e corticibus	0,847	0,868
Copaivæ, e balsamo	0,874	0,910
Coriandri	0,759	0,859
Cubebarum	0,922	0,929
Cumini	0,894	0,975
Cynæ	0,912	0,977
Fœniculi	0,896	0,999
Galbani	0,916	0,920
Hyssopi	0,889	0,986
Juniperi, e baccis	0,853	0,911
Lavandulæ	0,872	0,948
Macidis	0,920	0,953

OLEA ÆTHEREA.	MINIM.	MAXIM.
Oleum Majoranæ	0,890	0,898
Melissæ	0,854	0,975
Menthæ crispæ	0,867	0,975
Menthæ piperitæ	0,840	0,975
Menthæ pulegii	0,868	0,976
Millefolii	0,852	0,941
Nucis moschatæ	0,920	0,948
Origani vulgaris	0,867	0,909
Petræ album rectificatum . .	0,749	0,805
Petroselini, e seminibus . .	1,015	1,144
Piperis nigri	0,864	0,993
Rorismarini	0,885	0,915
Rutæ	0,837	0,911
Sabinæ	0,890	0,947
Salviæ	0,861	0,922
Sassafras	1,077	1,142
Serpylli	0,893	0,950
Sinapeos	1,009	1,038
Succini rectificatum	0,800	0,896
Tanaceti	0,918	0,952
Terebinthinæ rectificatum . .	0,860	0,903
Thymi vulgaris	0,870	0,905
Valerianæ	0,874	0,969

TABULA II.

Medicamina quæ luce decomponuntur aut alterantur.

Acetas hydrargyrosus.
Acidum cyanhydricum.
Acidum nitricum 40°.
Acidum nitro-chlorhydricum.
Acidum sulpho-hydricum liquidum.
Aqua Amygdalarum amararum.
Aqua Chlori.
Aquæ aromaticæ destillatæ.
Aqua Lauro-cerasi.
Aqua phagedænica.
Æther chlorhydricus alcoholicus.
Bromuretum ferri.
Calomelas s. Chloretum hydrargyrosum.
Carbonas ammoniæ pyro-oleosus.
Chloruretum auri.
Chloruretum calcis.
Chloruretum potassæ.
Chloruretum sodæ.
Cyanuretum auri.
Hydrargyrum præcipitatum album.
Iodureta hydrargyri.
Ioduretum amyli.
Ioduretum ferri.
Ioduretum plumbi.
Kermes minerale.
Kreosotum.
Lactas ferri.
Nitras argenti.
Nitras hydrargyri ammoniacalis.
Olea ætherea.
Oleum de narcoticis.
Oleum succini rectificatum.

Santonina.
Sesqui-chloruretum ferri.
Sub-nitras bismuthi.
Sulphas cupro-ammoniacalis.
Sulpho-hydras ammonicus.
Sulpho-hydras natricus.
Sulphur auratum antimonii.
Syrupus iodureti ferri.
Syrupus lactatis ferri.

TABULA III.

Medicamina quæ a Pharmacopola, speciali cura, asservanda et dispensanda sunt.

Acidum cyanhydricum.
Acidum chlorhydricum.
Acidum nitricum.
Acidum oxalicum.
Acidum sulphuricum.
Aconitum et præparata.
Aloes extractum aquosum.
Antimonii composita.
Aqua Amygdalarum amararum.
Aqua Lauro-cerasi.
Argenti composita.
Arsenicum et composita.
Atropina.
Auri composita.
Baryi composita.
Belladonna et præparata.
Bromium.
Cantharides et præparata.
Chloroformum.
Cicuta et præparata.
Colchicum et præparata.
Cupri composita.
Cyanuretum potassii.
Digitalis et præparata.
Euphorbium.
Gummi-Guttæ.
Hellebori radix et præparata.
Hydrargyrum sublimatum corrosivum.
Hydrargyri iodureta.
Hydrargyri cyanuretum.
Hydrargyri nitras.
Hyoscyamus et præparata.

Iodium.
Kreosotum.
Lactuca virosa et præparata.
Morphina et composita.
Nicotiana et præparata.
Nuces vomicæ et præparata.
Oleum æthereum Amygdalarum.
Oleum æthereum Lauro-cerasi.
Oleum Crotonis.
Opium et præparata.
Phosphorus.
Plumbi composita.
Potassa fusa.
Pulsatilla et præparata.
Rhus toxicodendron et præparata.
Sabadillæ semen.
Sabina et præparata.
Santonina.
Secale cornutum et præparata.
Scilla.
Soda caustica.
Staphysagria.
Stramonium et præparata.
Strychnina et composita.
Sulphas zinci.
Veratrina et præparata.

TABULA IV.

Miscelæ frigorificæ sæpius usitatæ.

INGREDIENTIA.		REFRIGERATIONIS GRADUS.
Nivis	part. 2.	a 0° usque ad — 28°.
Chlorureti calcii hydratici	» 3.	
Glaciei pulveratæ	» 2.	a 0° » — 20°.
Chlorureti sodii	» 1.	
Acidi chlorhydrici liquidi	» 5.	a + 10° » — 18°.
Sulphatis sodæ pulverati	» 8.	
Nitratis potassæ pulverati	» 5.	a + 10° » — 12°.
Chlorhydratis ammonici	» 5.	
Aquæ communis	» 16.	
Chlorhydratis ammonici pulverati	» 5.	a + 10° » — 15°.
Nitratis potassæ	» 5.	
Sulphatis sodæ crystallisati	» 8.	
Aquæ communis	» 16.	

TABULA V.

Puncta ebullitionis quærumdam solutionum, quæ ad balnea Maris diversi caloris gradus obtinenda, adhiberi possunt.

Solutio fervida et saturata	Aluminis	ebullit calore	104°.
	Chlorureti sodii	»	108°.
	Nitratis potassæ	»	114°.
	Nitratis sodæ	»	119°.
	Carbonatis potassæ	»	140°.
	Chlorureti calcis	»	178°.

TABULA VI.

Doses medicamentorum maximæ pro adulto.

MEDICAMENTA.	DOSES MAXIMÆ.	
Acetas morphinæ	centigr.	duo.
plumbi	»	quinque.
Acidum arsenicosum	milligr.	quinque.
cyanhydricum medicinale	centigr.	quinque.
Arsenias potassæ vel sodæ	milligr.	quinque.
Aqua Amygdalarum amararum	gramm.	duo.
Lauro-cerasi	»	duo.
Cantharides pulveratæ	centigr.	tria.
Chlorhydras morphinæ	»	duo.
Chloruretum auri et sodii	»	quinque.
Colocynthis	»	decem.
Cyanuretum hydrargyri	»	duo.
potassii	»	tria.
Extractum aquosum Aconiti	»	decem.
Belladonnæ	»	decem.
Conii maculati	»	decem.
Digitalis	»	decem.
Hyoscyami	»	decem.
Lactucæ virosæ	»	quindecim.
Opii	»	quinque.
Seminum Stramonii	»	quinque.
Secalis cornuti	»	viginti.
Scillæ	»	viginti.
Extractum alcoholicum Aconiti	»	quinque.
Belladonnæ	»	quinque.
Colocynthidis	»	quinque.
Nucum vomicarum	»	decem.
Scillæ	»	decem.
Folia Belladonnæ pulverata	»	viginti.
Cicutæ «	»	viginti.
Digitalis «	»	viginti.

Folia Hyoscyami pulverata	centigr.	viginti.
Nicotianæ —	»	quindecim.
Stramonii —	»	quindecim.
Toxicodendri —	»	triginta.
Gummi guttæ	»	viginti.
Hydrargyrum sublimatum corrosivum	»	duo.
bi-ioduretum rubrum	»	duo.
proto-ioduretum	»	quinque.
Kreosotum	gutta	una.
Laudanum liquidum Sydenhami	guttæ	viginti.
Liquor arsenicalis Fowleri	»	decem.
Nitras argenti fusus	centigr.	duo.
Nuces vomicæ pulveratæ	»	decem.
Oleum Amygdalarum æthereum	gutta	una.
Crotonis	»	una.
Opium	centigr.	quinque.
Phosphorus	»	unum.
Radix Belladonnæ pulverata	»	quindecim.
Scillæ	»	viginti.
Semen Stramonii pulveratum	»	viginti.
Sulphas Cupri	»	decem.
Morphinæ	»	unum.
Zinci	»	quindecim.
Strychnina aut hujus salia	»	unum.
Tartarus emeticus	»	viginti.
Tinctura Cantharidum	guttæ	decem.
Colchici	»	viginti.
Colocynthidis	»	viginti.
Digitalis	»	triginta.
Iodii	»	decem.
Lobeliæ	»	triginta.
Opii	»	viginti.
Nicotianæ	»	triginta.
Stramonii	»	quindecim.
Veratrina	centigr.	unum.

Si medicamina hujus tabulæ ad usum internum majori dose præscribantur quam quæ supra indicata, eam non propinabit Pharmacopola nisi dosis linea subnotetur vel signum ! subsequatur. Cautione hac omissa, ne forsan

error adsit, moneatur Medicus a Pharmacopola, qui interea et donec Medicus pronunciaverit, loco dosis præscriptæ dosin tabulæ inscriptam propinabit. Notandum doses hujus tabulæ nonnisi pro adulto indicatas esse, quantitatemque exhibere maximam una vice hauriendam. Attamen pro viginti quatuor horis dosis duplex, si non una vice sed per partes sumitur, præscribi potest.

Facile intelliget Pharmacopola doses maximas pro infantibus ratione ætatis esse minuendas, ita ut, verbi gratia, illis qui decimum ætatis annum attigerunt non nisi dosis adultorum dimidia est exhibenda.

TABULA VII.

Antidota et præcepta quædam ad veneficium impugnandum.

Quum in veneficiis recentibus, absente Medico, Pharmacopolæ sæpius in auxilium vocantur, hocque in casu eo magis valeant remedia quo citius ministrentur, antidota comprobata vel primas curas venenatis afferendas indicare utile censuimus.

Veneficium ab acidis fortioribus. — Magnesia usta cum aqua diluta vel etiam creta pulverata aut sapo aqua solutus ad acida neutralisanda exhibeantur. Porrigantur quoque lac necnon albumina ovorum cum aqua subacta.

Veneficium ab acido cyanhydrico vel borussico. — Aqua chlori in potu saccharato, necnon 50 centigrammata sulphatis ferrosi quadruplo aquæ soluta et cum grammate carbonatis sodæ soluto, dum hauriuntur, miscenda propinentur.

Veneficium ab acido sulpho-hydrico. — Ægrotus sub dio collocatus pauxillum chlori aut chlorureti calcis inspiret, parvamque chlori quantitatem in potu saccharato sumat. Cæterum stimulantia frictionesque prosunt.

Veneficium ab alcalibus mineralibus. — Propinanda acetum aqua dilutum et haustus acidulati.

Veneficium ab alcaloideis acribus. (*Strychnina, Brucina, Nux vomica, Veratrina, etc.*) — Solutum acidi tannici debile vel infusum gallarum necnon potus oleosi et mucilaginosi præscribantur, vomitusque ciatur tum faucium titillatione, tum etiam emetico.

Veneficium arsenicale. — Peroxydum ferri hydricum (60-100 gramm.) aqua dilutum per vices exhibeatur. Magnesia usta, magna dosi, etiam convenit. Propinentur potus oleosi, vomitusque ciatur fundum gutturis cum barbula plumæ titillando.

Veneficium a cantharidibus. — Proficiunt lac et potus mucilaginosi, clysmata oleosa, aqua camphoræ vel emulsio camphorata.

Veneficium cupricum. — Propinanda limatura ferri porphyrisata (2-4 gramm.) in melle vel syrupo, potusque saccharati necnon albumina ovorum conquassata.

Veneficium a fungis. — Vomitus ciatur, dein purgans oleosum præscribatur necnon potio cum æthere sulphurico.

Veneficium mercuriale. — Albumina ovorum fuscinæ ope subacta ministrentur; dein post semihoram vomitus ciatur tum potu oleoso, tum faucium titillatione.

Veneficium a mitulis. — Vomitus moveatur, dein æther fortiori dosi propinetur.

Veneficium a narcoticis. (*Morphina, Opium, Stramonium, Belladonna, Hyoscyamus, Cicuta, Conium, Lactuca virosa, etc.*) — Expellatur venenum vomitu, ope sulphatis zinci vel tartari emetici; clysmata purgantia injiciantur. Sopor dein discutiatur infuso Coffeæ fortiori.

Veneficium a nitrate argentico. — Conducit solutio salis communis.

Veneficium a plumbo. — Juvant sulphas sodæ vel magnesiæ (30 gramm.) aqua solutus, necnon limonata ex acido sulphurico aut tartarico.

Veneficium a salibus zinci. — Sorbendus bi-carbonas sodæ aqua solutus; conducit etiam magnesia usta, aquâ diluta.

Veneficium a tartaro emetico. — Exhibeatur acidum tannicum centum aquæ partibus solutum, seu infusum gallarum necnon decoctum corticis Peruviani.

Veneficium a vegetabilibus acribus. (*Bryonia, Nicotiana, Sabina, Euphorbia, Colchicum, etc.*) — Venenum vomitu et purgantibus oleosis expellendum.

APPENDIX.

FORMULARIUM

SEU

Formulæ magistrales apud nos usitatæ, adjectis præparatis quibusdam pharmaceuticis magis obsoletis.

ACETAS ALUMINIS PRO INJECTIONIBUS.

R. Acetatis plumbi	part.	12
Sulphatis aluminis.	»	10
Aquæ	»	200

Acetatem et sulphatem separatim solve in centum partibus aquæ; tum liquores misce, et sepone ut sulphas plumbi subsidat. Dein liquorem effusum evapora donec 19° Aræometro denotet.

Nota. 5 aut 6 litra liquoris adhibenda sunt pro injectione cadaveris.

ACETAS FERRICUS.

R. Peroxydi ferri hydratici quantum velis,
Acidi acetici concentrati quantum satis.

Peroxydum in acido solutum balneo maris ad siccum evapora. Servetur in lagena apte claudenda.

ACETAS POTASSÆ LIQUIDUS.

R. Acetatis potassæ.	part.	10
Aquæ	»	90
		100

ACETUM OPII AROMATICUM.

Guttæ nigræ. Black drops.

R. Opii.	part.	16
Nucis Moschatæ.	»	3
Croci.	»	1

Aceti destillati quantum sufficit

ut, maceratione et methodo lixiviatoria, eliciantur. . part. 100

Adde

Sacchari. . . . . » 24

et evapora ut remaneant partes 100.

ALCOHOLATUM ANHALTINÆ.

Aqua anhaltina.

R. Olibani.	part.	16
Mastichis.	»	12
Caryophyllorum	»	12
Nucis Moschatæ.	»	12
Cubebarum.	»	12
Cinnamomi.	»	8
Baccarum Lauri	»	8
Croci.	»	4
Alcoholis 25°.	»	1000

Post macerationem per viginti quatuor horas, adde

Terebinthinæ venetæ	»	96
Aquæ	»	500

tum destilla balneo maris, donec sint Alcoholati 20° (75° C.) part. 1000.

ALCOHOLETUM ACETATIS FERRICI.

R. Acetatis ferrici sicci	part.	13
Alcoholis 12°	»	87
		100

Paretur ex tempore.

ALUMEN DRACONISATUM (Ph. Hamburgensis).

R. Aluminis crudi. . . . . part. 2

In cochleari ferreo igne liquatis adde

Sanguinis draconis pulverati . . . . . » 1

Eodem modo paretur :

ALUMEN Kinosatum.

AQUA ASÆ FOETIDÆ COMPOSITA (Ph. Borussica).

R. Asæ fœtidæ,
Radicis Angelicæ,
— Calami,
Alcoholis 28°, singulorum. . . . . . part. 65
Aquæ quantum sufficit.

Post macerationem per horas 24, destillentur partes 1000.

Sit turbida, ab oleo supernatante libera.

AQUA ASÆ FOETIDÆ CUM CASTOREO.

R. Aquæ Asæ fœtidæ compositæ	part.	98
Tincturæ Castorei canadensis . . .	»	2
		100

AQUA CÆRULEA.

Aqua cœlestis.

R.	Sulphatis cuprici	part.	15
	Ammoniæ liquidæ	»	95
	Aquæ destillatæ	»	890
			1000

AQUA CASTOREI (Ph. Wirtembergica).

R. Castorei canadensis . . . . part. 4
Aquæ quantum sufficit.

Destillatione abstrahantur partes 1000.

AQUA FERRUGINOSA AËRATA.

Loco *Aquæ spadanæ.*

R.	Chlorureti ferrosi.	part.	0,06
	Bi-carbonatis sodæ	»	8
	Acidi citrici crystallisati.	»	6
	Aquæ.	»	986
			1000,06

AQUA GLANDIUM QUERCUS (Rademacher).

R. Glandium recentium decorticatorum. part. 666
Alcoholis 29° . . . . » 166
Aquæ quantum sufficit.

Destillentur partes 1000.

AQUA HÆMOSTATICA (Pagliari).

R.	Benzoës.	part.	1
	Sulphatis aluminis et potassæ. . . .	»	2
	Aquæ	»	20

Coque per horas sex indesinenter agitando et aquam evaporatione consumptam restituendo. Cola et serva in vase clauso.

AQUA MAGNESIÆ AËRATA.

Aqua carbonatis magnesiæ. Aqua acidula cum bi-carbonate magnesico.

R.	Sulphatis magnesiæ	part.	62
	Carbonatis sodæ.	»	60

Sulphatem magnesiæ et carbonatem sodæ seorsim solve in aquæ fervidæ quintuplo. Solutiones misce ac præcipitatum inde ortum, rite edulcoratum et adhuc humidum commisce cum

Aquæ destillatæ quantum satis

et ope gas acidi carbonici solve, ut sint Aquæ magnesiæ part. 1000.

AQUA NICOTIANÆ (RADEMACHER).

R.	Herbæ Nicotianæ recentis. . .	part.	1000
	Alcoholis 29°.	»	187
	Aquæ quantum sufficit.		

Elice destillatione partes 1000.

AQUA NUCIS VOMICÆ (RADEMACHER).

R.	Nucum vomicarum contusarum. .	part.	666
	Alcoholis 29°	»	34
	Aquæ quantum sufficit.		

Destillentur partes 1000.

AQUA QUASSIÆ (RADEMACHER).

R.	Ligni Quassiæ.	part.	468
	Alcoholis 29°.	»	125
	Aquæ quantum sufficit		

ut destillatione eliciantur partes 1000.

AQUA SEDATIVA (RASPAIL).

R.	Camphoræ	part.	2
	Alcoholis.	»	5
	Aquæ	»	873
	Chlorureti sodii	»	20
	Ammoniæ liquidæ	»	100
			1000

Pro usu externo.

AQUA SEDLITZENSIS EXTEMPORANEA.

R.	Sulphatis magnesiæ.	part.	60
	Aquæ	»	930
	Bi-carbonatis sodici.	»	5
	Acidi tartarici	»	5
			1000

AQUA VICIENSIS ARTIFICIALIS.

R.	Bi-carbonatis sodæ	centigr.	600
	Chlorureti sodii.	»	30
	— calcii	»	30
	Sulphatis sodæ	»	60
	— magnesiæ	»	25
	— ferrosi crystallisati . .	»	1,5

Solve in aquæ gaz acido carbonico saturatæ gramm. 1000.

AQUA VULNERARIA THEDENII.

Mixtura vulneraria acida.

R.	Aceti Vini	part.	500
	Alcoholis 15°.	»	250
	Acidi sulphurici diluti	»	83
	Mellis despumati	»	167
			1000

AXUNGIA BENZOATA.

R.	Benzoës pulverati.	part.	40
	Axungiæ recentis	»	1000

Stent balneo vaporis per horas duas et colentur.

Nota. Axungia hoc modo parata non fit rancida.

BALNEUM ACIDI CHLORHYDRICI.

R. Acidi chlorhydrici. . . . . gramm. 1000

Pro balneo litrorum 300.

BALNEUM ALCALINUM FORTE.

R. Carbonatis sodæ crystallisati . . gramm. 500

Pro balneo litrorum 300.

BALNEUM ALCALINUM MITIUS.

R. Carbonatis sodæ crystallisati . . gramm. 250

Pro balneo litrorum 300.

BALNEUM AQUÆ MARINÆ ARTIFICIALIS.

R.	Chlorureti sodii	gramm.	7980
	— magnesii	»	2990
	— calcii.	»	730
	Sulphatis sodæ	»	3150

Pro balneo litrorum 300.

BALNEUM AROMATICUM.

R. Specierum aromaticarum. . . . gramm. 1000

Pro balneo litrorum 300.

BALNEUM ARSENICALE (Tessier).

R.	Acidi arseniosi.	kil.	1
	Sulphatis ferrosi	»	10
	Aquæ pluvialis quantum sufficit.		

Ebulliant per semihoram et sint liquoris litra 100.

Nota. *In usum medicinæ veterinariæ.*

BALNEUM BARETGINENSE.

R.	Sulpho-hydratis sodici crystall. .	gramm.	64
	Carbonatis sodæ crystallisati. . .	»	64
	Chlorureti sodii.	»	64
	Aquæ.	»	308

Solutio pro balneo litrorum 300.

BALNEUM GELATINOSUM.

R.	Gelatinæ flavæ.	gramm.	1000
	Aquæ calidæ.	litr.	10

Solutio pro balneo litrorum 300.

BALNEUM GELATINOSUM SULPHURATUM.

R.	Gelatinæ flavæ	gramm.	1000
	Sulphureti potassii officinalis. . .	»	100

In aquæ sufficienti quantitate soluta, addantur balneo litrorum 300.

BALNEUM IODURATUM (Lugol).

R.	Iodureti potassii	gramm.	16
	Iodii	»	8
	Aquæ	»	600

Solutio pro balneo litrorum 300.

BALNEUM MERCURIALE.

